



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Disputatio II. Vtrùm Deus aliqua necessitate antecedenti sit ad naturæ
creatæ assumptionem adstrictus? S. Thom. q. I. a. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

§. 28. Rogas vtrum Deus factus sit melior extensiuè vnione? Medina qu. 2. Introductionis ad secundum dicit posse fortasse dici Deum perfectiorem esse extensiuè. videtur autè indicare Deū ita factum meliorem. Respōdeo, Deum & creaturam esse complexum extensiuè perfectius, quàm solus Deus, vt est in confesso apud omnes, quia hoc nihil significat nisi esse plura perfecta: at verò non potest dici Deum perfici extensiuè: nihil enim perficitur nisi sit subiectum perfectionis; quod patet in extensione qualitarum & cuiusvis rei quantæ. Illa phrasīs Medinæ fundamentum præbet ad concipiendum non solum esse perfectius aggregatum ex Deo & creatura: sed etiam Deum ipsum perfectionem euasisse, ob quod sententiam illam & phrasin censet reprehensione dignam. S. Thom. 1. p. q. 103. a. 3. ad 3. & 1. 2. q. 34. ad 2. & alibi, & cum eo Theologi omnes asserunt, Deo nullam perfectionem accrescere, quia nec mouetur, nec indiget vllâ: ex-

tensiuia autem perfectio rem perficit, vt patet in calore, qui magis est perfectus extensione, quàm sine illa. S. Thom. in 3. dist. 6. q. 2. art. 3. ad primum rectè dixit in Christo esse plura perfecta, quàm in solo Deo: Deo autem nullum bonum addi, quæ sit melior.

§. 29. Hæc doctrina, nempe nullam esse perfectionem nisi coniunctam ex natura sua cum motu, indicatur à S. Thoma 2. 2. q. 2. art. 3. accipiente perfectionem naturæ per motum. Vnde deduces humanitatem perfici vnione & personalitate Verbi, quia personalitas illi vnitur per motum receptum in humanitatem: actus autem communicatus per motum perficit subiectum ipsius motus, quamuis non sit subiectum receptiuum per dependentiam, vt anima est corporis perfectio, quamuis ab eo non dependeat.

§. 30. Alias difficultates tractandas reijcio proprios in locos.

DISPUTATIO II.

Vtrum Deus aliqua necessitate antecedenti sit ad naturæ creatæ assumptionem adstrictus?

S. Thomas quest. 1. art. 2.

SECTIO I. Quid sit necessitas physica?

SECTIO II. Quid sit necessitas moralis?

SECTIO III. Vtrum necessitas moralis sit physica connexio?

SECTIO IV. De quo sit hæc controuersia?

SECTIO V. Quinque sententia.

SECTIO VI. Vtrum Theologi sentiant necessitatem moralem Dei?

SVBSECTIO I. S. Thomas & Bonauent. quid sentiant?

SVBSECTIO II. Quid sentiant ceteri Scholastici?

SVBSECTIO III. Obiectiones.

SECTIO VII. Vtrum Patres sentiant necessitatem eandem?

SVBSECTIO I. Mens Augustiniana.

SVBSECTIO II. Quid ceteri Patres?

SVBSECTIO III. Patres sunt ab opposita sententia.

SECTIO VIII. Argumentum à priori pro necessitate morali Dei in eligendo maiori bono.

SVBSECTIO I. Proponitur.

SVBSECTIO II. Eius argumenti periculum.

SVBSECTIO III. Obiectioni respondetur.

SVBSECTIO IV. Respondetur ad argumenta ex sub-
sectione I.

SECTIO IX. Pro necessitate morali secundum ar-
gumentum ab effectu.

SECTIO X. Tertium argumentum.

SECTIO XI. Vltimum pro eadem necessitate ar-
gumentum.

SECTIO XII. Primum argumentum contra neces-
sitate moralem Dei.

SECTIO XIII. Secundum argumentum contra ne-
cessitatem eandem.

SECTIO XIV. In Deo nulla est necessitas ad Incar-
nationem aut creaturam aliquam.

SVBSECTIO I. Cuiusdam viri docti probatio.

SVBSECTIO II. Ratio à priori.

§. 1. Necessitas antecedens actum nostrum est duplex: alia physica, alia moralis: vtramque perstringo breuitatis & claritatis ergò.

SECTIO I.

Quid sit necessitas physica?

§. 2. Necessitas latius patet, quàm potentia necessaria: quia multa non facimus quia non habemus ad illa potentiam: vt homo non volat, nec lapis videt. potentia autem necessaria est ad faciendum vel recipiendum aliquid sine libertate in eo faciundo, aut recipiundo. Non agimus de prima necessitate: Deus enim non habet impotentiam ad rem vllam: quia ex se vim habet ad facienda omnia, quæ ex se non repugnant. Disputo

de necessitate in operando, Vtrum Deus ita operetur physicè, vt non possit physicè non operari? Necessitas alia est antecedens, alia consequens. hæc non est necessitas absoluta, sed secundum quid, id est ex suppositione libera: quæ necessitas componitur cum nostra libertate, quia est exercitium ipsius potentia libera: necessitas autem antecedens est necessitas absolute: quia non est in nostra potestate cohibere operationem. Necessitas consequens dicitur necessitas consequentia, non verò consequentis: necessitas autem antecedens dicitur necessitas consequentis, vt rectè explicuit S. Thomas q. 24. de Veritate art. 1. ad 13.

§. 3. Est ergo necessitas physica idem quod potentia

tentia necessaria in operando . quia includit duo, alterum virtutem actiuam , siue actum primum ad agendum: alterum est actionem ita ab illa oriri vt non possit non oriri . Hęc autem est definitio potentie necessaria; nempe, *qua positis omnibus requisitis ad operandum non potest non operari* . id est, cum antecedentibus requisitis ad operandum ita coniungitur operatio, vt non possit non coniungi. quo differt à potentia libera, quę positis omnibus requisitis ad operandum potest operari, & non operari: quia illa principia non habent connexionem magis cum operatione, quàm cum eius carentia. Quas definitiones ita ex Aristot. 9. Metaph. c. 9. & B. Thoma in eundem lib. lect. 2. explicui, disputans de auxilijs.

§. 4. Rectè igitur explicatur necessitas physica per connexionem inseparabilem effectus cum causa efficiente: causa enim non libera vndequaue completa habet connexionem cum suo effectu talem, vt nec per potentiam absolutam possit ab illo disiungi: quia si constituas visum expeditum, lucem cum proportione distantem, medium non impeditum, speciem impressam in oculis, & voluntatem Dei concurrenti ad visum, terminos implicat non videri lucem. si autem Deus velit ne videatur, opus est vel vt neget voluntatem generalem concurrenti cum visu, vel aliquod ex antecedenter requisitis. ob quod hæc est bona consequentia per locum intrinsecum: *Hęc potentia vitalis positis omnibus requisitis ad videndum non videt: ergo hæc potentia non est visus.* Ratio à priori: quia si esset visus, ita videret in illo euentu, vt non posset esse nisi videndo. Idem dico de quouis agente naturali, quod secundum se potest esse absque operatione, quia potest carere aliquo ex antecedenter requisitis, vt equus potest esse sine appetitione, quia potest carere apprehensione apta ad appetendum. at si sit adæquatè completus implicat quin appetat. De consequentia inter causam & effectum dicam §. 13.

§. 5. Hęc necessitas vocatur physica, id est naturalis, orta ex ipso conceptu essentiali agentis naturalis. Probatur, quia hæc necessitas est connexio physica effectus cum causa, id est, fatalis inseparabilitas, quia nec effectus potest esse sine sua causa, nec causa sine suo effectu; estque mutua consequentia ab altero ad alterum. Connexio autem physica est quando res vna non potest physicè ac realiter existere, nisi altera physicè quoque ac realiter existat. Quod non potest non oriri ex ipso conceptu naturali agentis & actionis. Ob quod S. Thomas 2. cōtra Gent. c. 29. verlu, *Tertio, vt in vna quaq.* dixit necessitatem absolutam oriri ex causis prioribus in esse, sicut ex principijs essentialibus. Addit S. Thomas oriri eam quandoque à causis efficientibus siue mouentibus. & quidem benè: nunc enim ego liberè sto; at possum ego ab alio vim pati & cogi ad stationem: nihilominus radix huius necessitatis sunt mea principia essentialia, quę positis omnibus requisitis ad sic standum non possunt non stare.

§. 6. Hanc physicam necessitatem explicuit S. August. tom. 5. lib. 5. de Ciuitate c. 10. his verbis: *Si necessitas nostra illa dicenda est, quę non est in nostra potestate, sed etiam si nolumus, efficit quod potest, sicut est necessitas mortis; manifestum est voluntates nostras, quibus rectè, vel perperam viuatur, sub tali necessitate non esse.* Quibus explicuit physicam connexionem: homo

Per. Hurrado de Mendoza de Incarn. pars I.

enim non esset homo si mortalis non esset radicaliter: hanc autem connexionem effectus cum causa necessaria dixit non esse in nostra potestate, quia si esset, posset homo esse sine illa. S. Bernard. serm. 81. in Cantic. ad medium hanc necessitatem appellat vim naturę, quę agentia naturalia aguntur, feruntur, capiuntur. de homine autem dicit: *Hanc vim à natura solus homo non patitur, & ideo solus inter animalia liber.*

SECTIO II.

Quid sit necessitas moralis?

§. 7. **M**oralem necessitatem physicam esse minorem constat apud omnes, quia cum physica libertate componunt necessitatem moralem: at verò necessitas physica non potest componi cum potentia libera ad eandem actionem: quia necessitas physica adimit facultatem cessandi ab operatione: potentia autem libera habet eam facultatem: ergo necessitas moralis minor est physica. Non est autem facile eam explicare. Duas frequentiores sententias subiiciam, neutram disputans: quia ea disputatio meo scopo non est necessaria.

§. 8. S. Thom. q. 22. de Veritate art. 5. ad 7. qu. 1. refert duas opiniones, quas relinquit vt probabiles, id est, vtramque censet esse probabilem. Est enim questio inter Theologos, Vtrum homo in natura lapsa non reparata posset non peccare mortaliter? Respondet, idem esse iudicium de peccato mortali, quod de venialibus in natura reparata. De venialibus autem est duplex sententia. Prima, hominem sine specialissima gratia (quali gauisa est Beata Virgo) non posse vitare omnia venialia collectiue, posse tamen hoc aut illud, ita homo non posset vitare omnia peccata mortalia: posset tamen hoc vel illud. Hanc rationem necessitatis moralis secutus est S. Thom. 1. 2. qu. 119. art. 8. & P. Molin. q. 14. art. 13. disp. 20. si adiungas disp. 19. Itaque in hac opinione necessitas moralis habet physicam connexionem cum aliquo effectu vagè ac indeterminatè: at non habet eam connexionem cum hoc in particulari, nec cum illo. Conflatur ergo hæc necessitas moralis ex necessitate physica potentie ad effectum in communi, & ex libertate physica ad quemlibet in particulari. Obserua contra vtentes hoc exemplo necessitatis moralis ad probandam infallibilitatem prædeterminationis, & componendam cum libertate: etenim summum probaret, prædeterminationem singularem, & in communi, non posse semper & vbique effectu carere: quia necessitas moralis ex hac S. Thomę sententia est necessitas physica ad effectum in communi; cum qua non potest componi carentia omnis effectus: at prædeterminatio non habet necessitatem mortalem hęc & nunc cum hac operatione; & non solum physicè, sed etiam moraliter potest contingere, & fortè cōtingit separatio huius prædeterminationis ab hoc effectu. Vt hæc natura hęc & nunc sine specialissima gratia potest physicè & moraliter abstinere ab hoc peccato veniali, & fortè abstinere. Vnde necessitas moralis constituta à S. Thoma eos nil iuuat. Multo autè minus eos iuuant duę sententię iam proponendę de necessita-

consequentiã à causã ad effectum, & ab effectu ad causam: vbi igitur non est effectus, quando erat necessariò exiturus, sequitur apertè non esse causam. quamuis enim ab effectu ad causam non est consequentiã negatiua, vt hæc, *Non est lux: ergo non est sol:* at valet benè consequentiã à carentiã effectus ad carentiã omnium necessariorum, quibus completur potentiã necessariò operans. quamuis non valeat consequentiã affirmatiua à causã ad effectum: at valet à causã agente necessariò & completa ad effectum: vt ab igne applicato cum cæteris necessarijs valet consequentiã ad calefactionem. In liberis autem est diuersa ratio: quia nec ex potentiã vndique completa valet consequentiã ad effectum; nec ex carentiã effectus, ad carentiã potentiã.

§.14. Hic animaduerte, ex carentiã effectus in communi inferri negationem causæ non quidem consideratæ secundum se, sed cum illo euentu accidentali. v.g. Si homo non videtur cum aliquo peccato, non potest inferri illum non esse hominem: quia homo secundum se non habet connexionem cum peccato in singulari, vel in communi, quia secundum se est indifferens, vt constituatur in diuersis statibus: in quorum vno habeat necessitatẽ moralem ad peccandum, in altero impotentiam ad peccandum, in alio nec necessitatẽ, nec impotentiam, sed libertatẽ sine vlla necessitate. Si quod autem agens habet secundum se & sine villo euentu accidentario illam necessitatẽ moralem; ex carentiã effectus in communi rectè inferretur carentiã illius agentis secundum se, quæ necessitas esset illi omnino physica & naturalis: non minus, quàm homo secundum se habet necessariã connexionem cum accidenti in communi, quia nec per potentiã absolutam potest existere sine aliquo accidenti, quia saltem cum creatione debet existere: at non habet necessariã connexionem cum hoc accidenti in particulari, nec cum illo: ergo rectè componuntur necessitas physica ac naturalis cum effectu in communi, & separabilitas physica ab effectu in particulari. Ergo necessitas moralis non oritur ab agente secundum se, sed cum aliquo euentu accidentario. Nec carentiã effectus inferri carentiã agentis secundum se, sed agentis in illo euentu accidentali, si in eo non operetur: quia idem agens in alio statu potest rectè esse sine tali effectu. Hæc tibi ante oculos obuersentur in tota hac disputatione.

SECTIO IV.

De quo sit hæc controuersia?

§.15. **D**E necessitate & libertate Dei in operando possunt variæ quæstiones institui. Prima, Vtrum Deus tam necessariò operetur hunc mundum, vt non possit eum hinc & nunc non producere; nec aliquid præterire, aut addere his quæ nunc sunt? Hæc quæstio non instituitur nunc; spectat enim ad primam partem, quam ibi latè disserui.

§.16. Secunda, Vtrum Deo liberum sit è duobus æqualibus eligere quod libuerit, quamuis necessariò sit aliquid electurus? Quam quæstionem irridet S. August. tom. 5. lib. 12. de Ciuit. c. 12. Quia
Per. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

posset etiam inquiri cur priùs aut posteriùs Deus non creauerit mundum?

§.17. Tertia, An Deus sit necessariò operaturus indiuidua sine fine? Quam quæstionẽ irridere possumus ex eodem S. August. adducto: ex S. Thoma 1. p. q. 47. art. 3. ad 2. & S. Bonauent. in 1. dist. 44. art. 1. q. 1. in fine.

§.18. Quarta, An Deus ex duobus obiectis in æqualibus possit eligere minùs bonum: an verò sit determinatus ad operandum ad extra? item & id quod melius est, scilicet, mundum, & non eius carentiã? vnionem hypostaticam, & non illius carentiã? permissionem peccati, & non eius carentiã? Hæc quæstio instituitur hinc, nempe: Vtrum Deus poterit non assumere naturam creatam? Nec disputo vtrum ex suppositione qua Deus creat angelum, ei det intellectum. licet enim Deus non habeat necessitatẽ moralem; tamen supposita vna eius actione, nullus hominum dubitat de alia. Vt nullus dubitat angelum intellectu gaudere. non quòd nõ posset eo priuari, nec quòd id sit Deo difficile; sed quia operatur iuxta exigentiã naturæ, dum aliud ipse non ostendit. Est ergo hæc quæstio, Vtrum in Deo sit aliquid, ex quo colligatur voluntas de angelo creando diuersa ab hac; Vtrum in Deo angelum creante sit aliquid, ex quo inferatur voluntas de dando angelis intellectu?

SECTIO V.

Quinque sententia.

§.19. **P**Rima, Deum operari ex necessitate naturæ quantum potest. quæ est apertè hæretica.

§.20. Secunda, Deum è duobus obiectis æqualibus eligere liberè quod vult, nec teneri ad vnum potius quàm ad alterum. Quæ si nihil aliud contineat, est vera: at verò latet in ea error sententiæ sequentis.

§.21. Tertia, Deum carere libertate physica in eligendis obiectis melioribus inter obiecta commemorata §.18. eius autem libertatẽ esse in eligendis indiuiduis: quia non habuit libertatẽ ad omittendos omnes mundos eiusdem rationis cum hoc; potuit tamen præterire hunc, electo alio. item potest sistere in quolibet indiuiduorum numero: item & in perfectionibus accidentibus. Quæ sententiã damnatur ab omnibus Theologis, est quæ contra fidem: Deus enim liber est ad producendam creaturam in communi & in particulari: quæ libertas non potest esse minor, quàm physica. quia verò cum nullo auctore Catholico de hac libertate est controuersia, eam reijcio in disputationes de Deo.

§.22. Quarta, Deum habere libertatẽ physicam ad omnem creaturam tam collectiue, quàm diuisiue; eum tamen carere libertate morali ad creaturas collectiue: quia non potest moraliter omnes ommittere, nec præterire meliores ex commemoratis §.18. solum quæ esse libertatẽ moralem in eligendis æquè bonis. Quæ sententiã non differt à tertia: nisi in libertate physica, aut morali circa creaturas collectiue. Vtrum autem tertia quarta quæ sententiã differant solo nomine, an etiam re, infra disquiram.

§.23. Quinta negat Deo omnem necessitatẽ antecedentem, physicam & moralem ad crea-

turas diuini & collectiue: solamque necessitatem admittit consequentem. Quam sententiam ego existimo esse Catholicam.

SECTIO VI.

Vtrum Theologi sentiant necessitatem moralem Dei?

§. 24. **F**ortè se quis inclinabit in sententiam quartam propositam §. 22. cuius argumenta expendenda, & auctores explicandos suscipio. Ac primùm contra eam sunt quotquot asserunt Deum non fecisse meliora.

SVBSECTIO I.

S. Thomas, & Bonaventura quid sentiant?

§. 25. **S.** Thomas videbitur alicui fauere illi necessitati morali, 1. p. q. 47. art. 3. ad 2. cum enim secundo argumento esset obiectum, naturam & Deum semper facere quod melius est, & meliores esse plures mundos, quàm vnum, ac propterea multos fuisse productos; Responder, à natura & Deo non intendi pluralitatem materialem indiuiduorum, nec maiorem perfectionem extensiuè. Quid inde? An huius quæstionis meminit S. Thomas? qui eo art. probat vnum tantùm esse mundum, non plures (quod intellige eiusdem rationis: eo enim in argumento versatur.) Respondet autem argumento, perfectionem plurium mundorum non esse tantam, vt Deum ad illam cogat: quod euidenter est adstructa aut negata necessitate morali ad melius. A qua quæstione abstinuit ibi S. Thomas, quia eius scopi nihil intererat.

§. 26. Secundò, adduci potest ex eadem q. 47. art. 2. ad 1. Vbi ait esse optimi agentis producere totum effectum suum optimum, non verò singulæ eius partes: sic Deus produxit hunc mundum optimum, non verò singulas eius partes. Respondeo, S. Thomam ibi nec de hac sententia cogitasse. Quando dixit mundum esse optimum, illum non comparauit omnibus mundis possibilibus: quia in 1. dist. 44. quæst. 1. art. 2. admittit expressè potuisse vniuersum esse melius, vel per additionem plurium partium specie distinctarum, vel per complementum multorum graduum qui possunt esse. Secundò, potuisse fieri alium mundum melius intensiuè, melioratis omnibus eius partibus. Recognosce illum articulum, & inuenies aperte sententiam de possibilitate alius mundi melioris in substantia & accidentibus, eiusque rationes efficaces. Igitur loco adducto est illi controuersia cum Origene somniantem inæqualitatem mundi ortam per se primò à nostro libero arbitrio, non autem à Deo. Quia multorum animæ propter peccata conuersæ sunt in solem, lapides, & bruta; alia autem propter bona opera conuersæ in angelos. hoc autem probabat Origenes, quia ad optimum artificem spectat producere optima: inter inæqualia autem non sunt omnia optima. Respondet S. Thomas, mundum fore bonum si productus esset cum æqualitate omnium partium; at non fore optimum, quia vniuerso congruentior est inæqualitas propter subordinationem & ordinem vnius partis cum alijs. Comparat igitur mundum con-

stantem omnibus partibus æqualibus cum mundo constante partibus inæqualibus: illum dicit bonum, sed non optimum; hunc & bonum & optimum: ob quod illum censet dignum artifice Deo, à quo per se primò, & non à nostro arbitrio traxit originem inæqualiter. Nullam rem secundùm se S. Thom. in 1. dist. 44. quæst. 1. art. 1. ad 1. voluit esse optimam, nisi vel vt habet totam perfectionem debitam suo generi, vel vt habet ordinem ad alias. Vnde totus hic mundus est optimus propter illam ordinem: at comparatus possibilibus non est optimus.

§. 27. Tertio, potest argui ex 1. contra Gentes cap. 75. vbi ex secunda ratione docet Deum amare necessariò meliora, his verbis: *Vnusquisque eius quod est propter seipsum ab ipso volitum & amatum perfectionem desiderat: quia enim propter se amamus, volumus esse optima, & semper meliora, & multiplicari quantum possibile est: ipse autem Deus suam essentiam propter seipsum vult, & amat, non autem secundùm se augmentabilis ac multiplicabilis est; sed solum secundùm suam similitudinem. Vult igitur Deus rerum multitudinem ex hoc quòd suam essentiam & perfectionem vult & amat.*

§. 28. Respondeo, hoc argumento probari potius necessitatem physicam Dei in amandis creaturis à S. Thoma sentiri, quia, si quo pacto amatur finis, amantur ea quæ sunt ad finem; Deus se amat physica necessitate, eadem amabit creaturas. Quæ clariùs patent ex ratione 3. vbi neruus contendit ad probandum amorem Dei in creaturas. Recognosce item numerum quintum: n. autem 6. comparat voluntatem eius intellectui; & sicut hic ex Deo cognito omnia cognoscit, ita illa ex Deo amato omnia amat: sed intellectus Dei physica necessitate omnia intelligit, ita ergo & voluntas amat. Aduerte aliquos Parisienses opinatos censeri à S. Thoma aliquam creaturam esse de necessitate: quod intellexerunt de necessitate absoluta: (quæ necessitas defenditur hac sententia, quam ego impugno.) quam doctrinam dicunt aperte esse erroneam: vt constat ex quodam tractatu contra Ioannem de Montefono cap. 3. v. *Quarta conclusio*, & seqq. Hic tractatus est post librum 4. Sententiarum Petri Lombardi excusi Parisijs apud Poncetum anno 1542. Verùm illi Parisienses grauitèr fuere decepti imponentes S. Thomæ eam opinionem. Ferrara in fine eius capitis dicit: *Non sequitur Deum velle alia, quia vult se.* Colligitur ex num. 4. & 6. S. Thomæ, creaturas in esse possibili amari necessariò à Deo: at in esse actuali sine vlla necessitate, sed ex libera dispositione suæ sapientiæ. quod iam ostendo.

§. 29. Mirum esset, si quis tantum velaret oculos, vt arbitraretur S. Thomam vel leuissimè ab ea esse sententiam, cuius numquàm meminit nisi ad impugnandum: cum enim 1. contra Gentes latissimè probet amorem Dei in creaturas propter se ipsum amatū, c. 81. ait: *Nulla inest ei necessitas vt alia velit ex hoc quòd velit suam bonitatē.* Quòd si Deus necessitate morali esset adstrictus ad amorem creaturarum, cur diceret illud *nulla necessitate* adstringi? Vnde arguo: necessitas moralis verè & ex S. Thoma est aliqua necessitas: quam §. 8. probaui ex eodem S. Thoma esse necessitatem physicam ad effectus in communi. item in natura lapsa est aliqua necessitas gratiæ ad vitanda peccata mortalia: & in natura reparata est aliqua necessitas gratiæ specialis ad vitanda omnia peccata

peccata venialia, quæ necessitas est moralis ad tollendam necessitatem moralem peccandi: est ergo necessitas moralis aliqua necessitas: sed ex S. Thoma in Deo nulla est necessitas ad amorem creaturarum: ergo in Deo non est necessitas moralis ad illum amorem.

§.30. Et quidem illud caput 81. orditur ab obiectione, quæ caprari posse videbatur ex cap. 75. Si autem diuina voluntas, inquit, est diuina bonitatis ex necessitate, posset alicui videri quoddam aliorum ex necessitate esse, cum omnia alia vellet, volendo suam bonitatem, vt supra dictum est. Id autem dixerat cap. 75. Itaque præuidit paralogismum oppositæ sententiæ. Respondet autem: Sed tamen rectè considerantibus apparet quoddam non est aliorum ex necessitate. Ne autem quis arbitretur eum locutum de sola necessitate physica, concludit, in Deo nullam esse necessitatem ad amandas creaturas: id quæ probat apertissimis argumentis. Primum, quia ex fine amato non amantur ex necessitate, nisi ea sine quibus finis esse non potest: vt medicus non eligit ex necessitate medicinam sine qua sanari potest ægrotus: Secundò, id probat num. 3. ab absurdo, quia vellet infinita. reddit item discrimen inter intellectum & voluntatem. Ferrara in id caput versu ad Euidentiã, sine ait: Quia ergo nihil creatum est necessarium ad diuinam bonitatem, nec (inquam) quantum ad esse simpliciter, nec quantum ad bene esse, ideo dixit S. Thom. quoddam & diuina bonitas sine aliis potest esse, & per alia nihil ei accrescit. E quibus apertè concluditur nulla necessitas, quia quæ nihil interfunt, cur amabuntur necessariò à bene cognoscente?

§.31. Adde ex 1. Sent. dist. 4.4. q. 1. art. 1. vbi asserit potuisse Deum facere alias creaturas his meliores accidentaliter: item alias substantialiter meliores. Ad primum negat rem aliquam esse optimam, quia sunt alia infinita meliores: ad secundum explicat Augustinum adducendum pro necessitate amoris Dei. Art. autem 2. probat potuisse à Deo produci alium mundum multò meliorem hoc, & specie diuersum: ad secundum autem respondet testimonio Augustini: ac denique 1. p. q. 19. art. 3. recensens necessitates in amando, docet aliam esse antecedentem, aliam verò consequentem siue ex suppositione, hanc admittit in Deo, illam omnino ablegat.

§.32. S. Bonauentura in 1. dist. 4.4. art. 1. q. 1. fatetur hunc mundum non potuisse fieri meliorem in substantia: quia non esset hic; at potuisse pro illo fieri alium meliorem, Quia, inquit, cum posse eius non sit arctatum, nec limitatum, non video quare non potuisset mundum meliorem facere, hoc genere melioritatis. Si autem intelligas quantum ad secundum modum, sic dico quoddam non solum alium, verum etiam hunc potuit facere meliorem. Ad vltimum autem ait: Et ideo si alium mundum & meliorem hoc fecisset, adhuc erit vltra quærere, Quare non fecit meliorem cum posset? & sic procedendo vterius, & ita talis questio esset irrationalis, & solutio non potest dari, nisi hæc: Quia voluit, & ratione ipse nouit. Attamen si non fecisset, nemo potest arguere, quia hoc totum quod fecit fuit gratia, nec erat aliqua exigentia, ratione cuius posset poni in eo fuisse inuidia. Ex quibus apertè patet, solam Dei voluntatem esse reddendam cur factus sit hic mundus: non verò quia ille in specie optimus est inter omnes. Quoddam si S. Bonauent. agnouisset necessitatem moralem ad hunc mundum in specie, ad illam recurrisset me-

lius quàm ad solam voluntatem Dei. Vt si quis rogetur, Cur cum communi gratia non vitat omnia peccata venialia collectiue? respondebit, quia non potest moraliter.

SVBSECTIO II.

Quid sentiant ceteri Scholastici?

§.33. Magister in 1. dist. 44. quærens, vtrum Deus potuerit facere res meliores aut minus bonas, nulla mentione facta de necessitate morali, hæc ait: Si verò referatur modus ad rem ipsam, quam fecit Deus, dicimus, quia & alius, & melior potest esse modus: & secundum hoc concedi potest, quia ea quæ facit potest facere melius, & aliter quam facit; quia potest quibusdam meliorem modum existendi præbere, quibusdam alium. Potest ergo Deus eorum quæ facit quædam alio modo meliori, quædam alio modo æquè bono, quædam etiam minus bono facere, quàm facit, vt tamen modus referatur ad æqualitatem operis, id est creaturæ, non ad sapientiam creatoris.

§.34. Alexand. 1. p. q. 21. memb. 3. art. 1. fatetur potuisse fieri à Deo res meliores, & respondet argumentis pro sententia quarta quam proposuit §. 22. Art. autem 2. concedit has creaturas potuisse fieri à Deo meliores, sed non factas; quia Deus non debet aliquid. Itaque ad earentiam debiti, non ad necessitatem moralem recurrit Alexander. In quo sensu explicandus est S. August. tom. 6. libr. 1. Contra aduersar. legis & Proph. cap. 14. Item Alexand. art. 3. ait Deum alio modo sibi conuenientissimo potuisse nostro peccato mederi: art. verò 7. docet potuisse fieri mundum meliorem in se, & in partibus: & 3. p. q. 1. membro 3. excludit à Deo omnem necessitatem inuitabilitatis, quæ excluditur necessitas moralis quæ cum aliqua inuitabilitate est coniuncta.

§.35. Scotus in 1. dist. 46. quæ vnica censet potuisse à Deo institui alias leges particulares & vniuersales, quibus ageret contra quod nunc facit, de necessitate verò morali nullus Theologus ita loquitur: nullus enim asserit hominem lapsum posse sine gratia seruare totam legem. Durand. ibid. q. 1. censet potuisse has creaturas meliores esse: ad 2. eas esse optimas comparatione ad vniuersum: quæ autem 3. posse vniuersum meliorari accidentaliter intensus. Vtrum autem possit melior reddi additione aliarum specierum, dubitat: non quoddam constituat in Deo necessitatem moralem, sed quia terminum præfixit speciebus, dubitat autem vtrum physicè sint possibiles alia meliores. Itaque vel physicè potest, vel moraliter non potest, ex sententia Durandi. Consensit Aureolus in eadem dist. 44. art. 5. §. An Deus possit facere minus bene? Gabriel q. vnica art. 2. clarè docet, posse fieri mundum meliorem distinctum in specie; item & hunc meliorem. Okamus ibidem. Adde recentiorum agmen propugnantium summam Deilibertatem in creaturis amandis quoad existentiam, & impugnantium omnem necessitatem antecedentem; P. Suarez, Molinam, Valent. Arrubal, & Ragulam, qui disp. 28. pluribus in locis ait neminem ausum oppositum asserere: Bañes, Zumel, Lorca disp. 10. num. 31. Ego fateor ante hæc tempora me in nullo Catholico Scholastico aut legisse, aut audiuisse, hanc moralem necessitatem.

§. 36. Solus Ricardus de Media villa poſſet ab aliquo in ſuſpicionem adduci in 1. diſt. 46. q. 1. ad 3. ait enim: *Summè liberalis vult omnibus bona ſua communicari, quantum poſſibile eſt, &c. Dicendum, quòd verum eſt ſi poſſibile eſt & decens ſimul.* Vbi affirmat expreſſè eſſe propriam ſummæ liberalitatis communicationem omnium bonorum poſſibilem. Reſpondeo, vellicati teſtimonia: non enim dixit Ricardus non poſſe ſeparari communicationem omnium poſſibiliũ à ſumma liberalitate; ſed ſummam liberalitatem velle omnia ſua bona communicare. Quamvis autem Deus ita vellet: at propterea cenſeret Ricardus non potuiſſe Deum aliter velle. Et quidem Ricardus diſt. 44. art. 1. qu. 1. fatetur apertè, hunc mundum potuiſſe à Deo fieri ſimpliciter meliorem: item potuiſſe fieri alias ſpecies ſimpliciter meliores exiſtentibus. Reſpondet autem argumentis petitis ex Damasceno & Auguſt. Item qu. 4. fatetur poſſe à Deo fieri alium mundum. Cùm autem argumento 2. obiectum eſſet teſtimonium Platonis aſſerentis facta à Deo optima, reſpondet non eſſe multum curandum de Platone, quia cenſuit mundum à Deo factum neceſſariò. Cùm autem q. 6. diſputer vtrum mundus productus fuerit de neceſſitate naturæ; reſpondet negatiuè, quia mundus productus eſt per cognitionem, quòd Deus minimè pendet à creaturis. Fine autem eius quaſtionis fatetur ingenuè, hominem abſolute meliorem futurum, ſi peccare non poſſet. Clarè igitur conſtat Ricardum minimè cenſuiſſe in Deo neceſſitatem aliquam antecedentem.

SVBSECTIO III.

Obiectiones.

§. 37. **D**ices Primò, à Doctõribus Scholaſticis negatam eſſe Deo phyſicam neceſſitatè, non autem moralem. Reſpondeo, id non poſſe dici de S. Thoma adducto §. 29. vbi aſſerit nullam eſſe in Deo neceſſitatem: iam autem oſtendi §. 8. ab eo cenſeri neceſſitate morali includi neceſſitatem phyſicam ad effectus in communi. Nec item poſteſt dici de S. Bonauent. adducto §. 32. aſſerente in Deo nullam eſſe exigentiam: nec de Alexandro adducto §. 34. excludente à Deo omnem ineuitabilitatem. Et quidem cùm omnes tam accuratè diſquirant modos neceſſitatis, nullus meminit huius, cùm tamen neceſſitas moralis paſſim verſetur in omnium ore. Cur non dixerunt Deum tam neceſſariò operari meliora, quàm hominem ſine gratia peccatum? Cur Incarnationem eſſe Deo tam neceſſariam, quàm gratiam ſpecialem nobis ad vitanda omnia peccata venialia? Eſt ergo hæc neceſſitas Dei inaudita Scholaſticis.

§. 38. Dices Secundò, auctores locutos de alijs creaturis melioribus in indiuiduo, aut de ſpeciebus cõtentis intra hæc genera. Contra: S. Thomas, S. Bonauent. Alexand. Ricard. expreſſè admittunt alium mundum poſſibilem meliorem in eſſentia quàm hunc, & diſtinctum in ſpecie. quod clariffimè docuit Bonauent. in 3. diſt. 20. art. 1. q. 6. ad 2.

§. 39. Dices Tertio, à Scholaſticis ſentiri facta à Deo meliora. Reſpondeo illos egiſſe de melioribus comparatione ad vniuerſum: ſeruant enim eius partes optimã omnium connexionem & ordinem: nec enim hæ partes meliùs potuerunt diſpo-

ni: elementa enim comparatione calidè ſeruant optimum omnium ſitum: at res ſecundùm ſe potuerunt eſſe meliores. ita loquuntur S. Thom. Ricardus, & alij. P. Suarez ea ratione vtens docet abſolute potuiſſe à Deo fieri meliora. Oſtendam diſp. 5. ex Auguſt. & Bernardo, ſummam facilitatem Dei, qua poſſet prætermiſſa Incarnatione nutu, & ad manum nobis alia ratione mederi.

SECTIO VII.

Vtrum Patres ſentiant neceſſitatem eandem?

§. 40. **P**ræmittamus Ariſtotelem 8. Phyſicorum cap. 7. tex. 56. *Id quod præſtat, inquit, in natura eſſe, modò poſſit, arbitramur. id eſt, cenſemus ſemper eſſe quod melius eſt, ſi poſſibile eſt.* Patres Conimbricenſes dicunt naturam agere optimũ quod poteſt. Reſpondeo, Conimbric. locutos de natura naturata, & ſine libertate operante: non autem de natura naturante, quæ non facit ſemper optima. modus autem optimus eſt, quia & ab optimo fine, & à prouidentia optima. Nec ibi loquuntur, niſi vt explicent argumentum Ariſtotelis. Cui reſpondeo, quod §. 36. Ricardus Platoni, non eſſe multum hæc in parte curandum de eius auctoritate: negauit enim Deo libertatem etiam phyſicam; vt cenſuerunt Cardin. Aliacus in 1. q. 9. art. 3. P. Albertinus tom. 1. quaſt. 2. Theologica ex ſexto principio philoſophico num. 4. cum alijs multis; quos ego ſecutus diſp. 12. Metaphyſ. ſect. 1. Item eo capite ait motum cõtinum eſſe neceſſariò, & ab æterno. Denique Ariſt. ſultiſſimè ſenſit de mundo, quem fecit æternum & improductum; item de Intelligentijs, quas cenſuit eſſe à ſe; alioſque eius errores ego explicui diſp. 12. Metaphyſ. ſect. 1. Et quamuis eſſet Ariſtotele aliquid hæc in re deferendum, poſſet exponi à natura eſſe optimum in ordine ad hunc vniuerſum, cuius partes ſunt optimè connexæ; non tamen ad optima inter poſſibilia. Præterito igitur Ariſtotele ad Patres veniamus,

SVBSECTIO I.

Mens Auguſtiniãna.

§. 41. **A**uguſtinus nobis eſt exponendus to. 1. de Quantitate animæ cap. 33. poſt medium inquiens: *Tanta eſt tamen anima, vt etiam hoc poſſit adiuuante ſanè iuſſu à ſummi & veri Dei, qua hæc vniuerſitas ſuſtentatur & regitur: qua etiam factum eſt, vt non modo ſint omnia, ſed etiam ſic ſint vt omnino meliùs eſſe non poſſint.* Reſpondeo probari potiùs phyſicam neceſſitatem: nam ſi omnino meliùs eſſe non poſſint, ergo nulla ratione poſſunt eſſe meliùs. Auguſtinum non locutum de rebus ſecundùm ſe, conſtat primùm: quia ipſe ſuper Genef ad litteram cap. 7. lib. 11. tom. 3. fatetur ingenuè meliorem fuiſſe hominem, & quamcumque naturam intellectualem quæ peccare non poſſet, quàm quæ peccat: ergo homines, qui nunc exiſtunt, potuerunt exiſtere meliùs. Tum etiam, quia ipſe Auguſtinus afferendus §. 43. aſſerit nos gratias acturos Deo, etiam ſi in inferiori gradu eſſemus conſtituti: ſentit ergo potuiſſe à Deo produci res, laudabiliter

in

in gradu inferiori. Tertio, Respondeo ex Ricardo, locutum Augustinum de rebus in ordine ad vniuersum, non verò secundum se: hunc enim ordinem vniuersi optimum esse docent ferè omnes. Tandem aduerto, non dixisse Augustinum, non potuisse fieri meliora: sed has res non potuisse melius existere. De quo non est controuersia.

§. 42. Vt autem constet, Augustinum & alios Patres adduci sinistrè ad probandam necessitatem moralem, cõsidera opinionem Durandi terminos præficientem speciebus possibilibus, quas existimat certo concludi numero: ob quod ipse dubitat, vtrum sint factibiles species perfectiores iam factis: finge non posse, quia inter factas existit aliqua perfectissima omnium possibilium. Cum hac sententia componi potest, Deum has fecisse sine vlla necessitate morali, quia potuit pro his facere alias imperfectiores, vt §. 35. dixi ex ipso Durando, & §. 33. ex Magistro. sic posset exponi à Durando testimonium Augustini; mundum hunc esse perfectissimum inter possibile, factum autem sine vlla necessitate.

§. 43. Idem Augustinus eodem modo 1. lib. 3. de Libero arbit. c. 5. ait: *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum tamquam bonorum omnium conditorem. Quod probat. Potest ergo esse aliquid in rerum natura, quod tu ratione non cogites; non esse autem quod vera ratione cogitas, non potest.* Pro qua sententia possunt adduci non pauca ex illo capite. Respondeo Primum, Augustinum exponi posse vt §. superiori; quia ex eo quodd non possit esse aliquid melius, non sequitur hæc necessitudo facta necessitate antecedenti, sed consequenti. Secundò, Respondeo, magis probari necessitatem physicam, quàm moralem. Tertio, accipiendum Augustinum de rebus quæ fieri debuerunt. sic enim locutus est adducendus §. 44. Quod colligitur ex hoc eodem capite adducto ab aduersarijs, his verbis: *Cum aliquid melius faciendum fuisse cogitaueris.* Tandem hoc testimonium adductum est ab antiquis Scholasticis, & explicatum à Bonauent. in 1. dist. 44. art. 1. q. 1. & Ricardo q. 1. à quibus exponitur de rebus in ordine ad totum vniuersum, quem compegit optima connexionem partium. In quo seruata vnitatem specifica mundi, non potuit facere res meliores in substantia.

§. 44. Tomo 6. lib. 1. Contra aduers. legis & Proph. c. 14. ait: *Aut verè vsque ad eò despiendum est, vt homo videat melius aliquid fieri debuisse, & hoc Deum vidisse non putet: aut putet vidisse, & credat facere noluisse; aut voluisse quidem, sed minime potuisse.* Auertat Deus hoc à cordibus piorum. Respondeo Primum, hoc testimonium adductum à Bonauent. & Ricardo, & expositum de hoc mundo, cui adscripsit Deus optimam connexionem & ordinem. Facilius autem explicatur, eum locutum de optimo, quod Deus deberet facere: id enim aperte dicunt illa verba: *Melius aliquid fieri debuisse.* Vt enim ex Alexand. dixi §. 4. Deus non fecit meliora non quia non potuit, sed quia non debuit. Hæc est germana huius loci explicatio: sonat enim Augustini locus physicam necessitatem, quia comparat Augustinus Dei voluntatem cum intellectu & potentia, aitque Deum intellectu præuidisse quidquid melius debuit facere: & voluntate voluisse, & executum potentia, ali-quod autem ex his Deo deesse non possumus sentire sine impietate: propterea dixit, *Auertat hoc Deus*

à cordibus piorum. At si physicè Deus potuisset non facere melius, cur id esset auertendum à cordibus piorum? Cum igitur Deus nihil debeat absolute, sed tantum ex suppositione; Deus ex suppositione tantum vult necessariò, quod melius est ad scopum sibi propositum. Vide que dixi §. 18. de voluntate operandi simpliciter, & non operandi; & de voluntate operandi aliquid ex suppositione alterius operationis. Deus ergo operatur melius iuxta exigentiam substantiarum quas operatur: vt operatur angelum, intellectu gaudentem, non verò truncum. De hoc genere loquitur Augustinus: nec possumus sine reuelatione cogitare naturam angelicam meliorem ex natura sua, quàm est à Deo: quia ex rei natura Deus debuit eam ita operari, si eam erat producturus: at potuit, eam non producere, nec ex aliqua lege id debuit. Atque ita Augustinus, alij Patres, & Concilium Francofordiense vno verbo explicantur aperte. Alia testimonia afferunt & exponunt S. Thom. S. Bonauent. Ricardus, & alij. Sed de mente Augustiniana, Thomistica, & Bonauenturana recidet sermo sectione vltima.

SUBSECTIO II.
Quid ceteri Patres.

§. 45. Posset afferri Concil. Francofordiense Epist. ad Episcopos Hispaniæ prope finem Tomo 3. Concil. in noua editione pag. 655. column. 2. in medio: cuius hæc sunt verba: *Credamus eum omnia velle, quæ meliora sunt.* Respondeo, non dixisse Concilium, nos scire Deum facere necessariò, moraliter quæ meliora sunt: sed vt credamus facta, de quo non est controuersia: possumus enim credere & ea facta, & potuisse non fieri. Secundò Respondeo, Concilium non egisse de omni re absolute meliori, sed in ordine ad perfectam redemptionem; quæ & nobis esset honestior, & Deo cederet in gloriam. Disputat enim contra Felicem & Helipandum asserentes Christum esse filium adoptiuum, & non naturalem: probat Concilium per adoptiuum non potuisse redemptionem esse perfectam, debuisset que Deum eam peragere per naturalem: est igitur debitum ex suppositione finis. Sunt autem hæc verba Concilij: *Quis negat proprietatem meliorem esse in filio quàm adoptionem? & dum omnipotens Dei filius nostre fragilitatis naturam in vnitatem persona sua adsumere voluit, vt esset mediator Dei & hominum, cur non debuit ex meliore filiorum dignitate, & multo excellentiori nostram sibi in vnitatem persone associare humanitatem, quatenus ex sua gloriosa & propria nobilitate nostra seruitutis redimeret ignobilitatem?* Non ergo de absoluta necessitate Incarnationis egit; sed ex suppositione quòd nos voluit perfectè redimere, debuit id facere per filium naturalem: quia per adoptiuum non posset.

§. 46. Clemens Alexand. videtur fauere huic necessitati morali in 6. Stromatum quinque paginis ante finem in excusione Laurentij Torrentini fol. 225. sine, his verbis: *Nam cum sit bonus Deus, propter principalem vniuersæ creaturæ partem, cum eam vellet esse saluam, ad reliqua quoque faciendâ est conuersus, hoc eis primùm præbens beneficium ab initio vt fierent: esse enim melius, esse, quàm non esse, quiuis cõsuebitur. Deinde prout erat capax vniuersiusque natura factum est, & fit vnumquodque*

quodque ad ipsum quod melius est proficiens. Melius fauere videtur inferius his verbis: *Per diuinam administrationem & ineffabilem bonitatem, quae semper, quantum fieri potest, ad id quod est melius adducit eorum quae sunt naturam.* Quid inde? Clemens asserit factum: necessitatem vbi asserit? Respondeo igitur Primam ex §. 43. hoc testimonium plus fauere Durando & Aureolo praesigentibus terminum speciebus possibilibus, & vbi Doctores dubitant, vtrum iam existentes sint optima inter possibiles, possunt inclinari in partem affirmantem hoc testimonio Clementis. Verum nec illis fauet: constat enim ex verbis adductis fieri semper melius; & vniuscuiusque naturam duci ad id quod perfectius est, vt praecipua vniuersi pars salua fiat: propterea enim ea omnia dicit esse facta, his verbis: *Cum eam vellet esse saluam: id est; propter salutem praecipuae creaturae; ipsamque philosophiam ait institutam esse ad hunc finem.*

§. 47. Cyrillus Alexandr. 2. Thesauri cap. 1. ait, *Quia omnia Pater potest, & meliora semper vult, consubstantialis sibi ex Deo nascitur Filius.* Respondeo, hoc testimonio sic truncato probari potius Deum facere meliora necessitate physica, sicut generat Verbum. ducit enim argumentum ab Dei amore in meliores creaturas ad generationem Verbi consubstantialis. Itaque vox *meliora* non refertur ad creaturas, sed ad obiecta diuina, quae Deus semper vult. Ex quo amore, & quia Pater potest omnia producere, quae ad intra produci possunt, probat Cyrillus, Verbum esse necessariò productum. Quia capitis initio retulit errantes cepisse Patrem producere Filium, & intermisisse liberè, hos arguit, quia Deus fuisset piger, his verbis: *Si Pater generare Filium cepit, & à generando postea cessauit, vt haeretici predicare audent. Subiicit inferius: Si verò ex Patre nascitur, quare consubstantialis non est? Vtrum, quia talem generare non potuit: an quia noluit? Nam si non potuisse, dixerint, impudenter impotentiam Patri attribuent; si noluisse, turpissimam illi pigritiam imponent, propter quam peiorem genuerit cum potuerit meliorem: melius enim est consubstantialem sibi, quam contra gignere. quia igitur & Pater omnia potest, & meliora semper vult, consubstantialis sibi ex eo nascitur Filius.* Quòd si Deus liberè cessasset à producendis melioribus, eum illi adscriberetur turpissima pigritia, quae physice repugnat Deo, cum illa cessatio non repugnet physice? Si autem Deus posset producere Verbum, & non produceret, esset propter pigritiam: cum enim obiectum sit infinitè amabile, sequitur per locum intrinsecum Patri vitio vertendum si non amaret, quod August. dixit adscribendum inuidiae. Idem Cyrillus lib. 5. Thesauri cap. 7. ait: *Quoniam igitur imperfectum semper esse opus Dei non decuit, nec potuit aliter reparari quam Incarnatione Verbi, necessurò Dei filius homo factus est.* Ecce necessitas conditionata, & non absoluta: non quia non potuisset manere imperfectum opus Dei; sed quia ita expediuit.

§. 48. Grauius testimonium est pro eadem necessitate morali, ex eodem Cyrillo lib. 8. contra Iulianum, non longè à fine, versu, *Sed fortassis dicet aduersarij, Cuius haec sunt verba: Itaque si quis est qui dicere audeat, summam sapientiam meliora potuisse praestare, increpet Deum: verumtamen delirabit: insania enim haec fuerit viri attoniti, mentisque moti.* Respondeo, eo testimonio plus faueri physicae necessitati, quam morali: repugnat enim physice vt Deus increpetur

iuste: si ergo physice potest meliora non facere, & propterea increpari iuste, concluditur aut Deum physice non posse facere meliora, aut iuste posse increpari. Secundò Respondeo, eo testimonio etiam faueri opinioni Durandi & Aureoli propositae §. 42. vt etiam de S. Clemente obseruauit §. 46. Respondeo igitur Cyrillum opinatum nos à Deo redemptos modo nobis optimo inter omnes possibiles, vt patet ex versu, *Persuadet autem.*

§. 49. S. Basilius hom. 9. *Quòd Deus non est auctor malorum, posset asserri pro necessitate morali Dei: non longè ab initio ait: Vnum quidem hoc habere in mentibus nostris presumpsum oportet, quòd, cum simus boni Dei opificum, & ab illo constemus omnia circa nos tam modica, quam magna dispendante, nihil nobis accidat illo non volente; & quòd nihil eorum quae nobis accidunt, malum sit, aut tale vt melius illo aliquid excogitare queamus.* Respondeo, hoc testimonio potius probari necessitatem physicam, quam moralem: quia si nihil aliud melius est excogitabile, ergo est physice impossibile: & quamuis haec, quae nobis accidunt, sint optima inter possibilia, adhuc non probatur haec facta fuisse necessitate vlla physica aut morali, vt constat ex §. 42. vbi dixi ex opinione Durandi & Aureoli ad haec omnia posse responderi. Secundò Respondeo, locutum Basilium de optimo modo nobis connaturaliter debito: infra enim ostendit mala culpae esse à nobis immediate; poenas autem esse radicaliter à nobis, nec esse malum à Deo eas infligi. Tuetur igitur Basilius honestatè prouidentiae diuinæ: de hac autem quaestione nec cogitauit.

§. 50. S. Damascenus lib. 2. de Fide cap. 29. haec ait: *Atqui si Dei voluntas prouida est, omnino necesse est omnia quae prouidentia sunt, secundum rectam rationem optima & Deo decentissima fieri, & vt non sit ea melius fieri:* Ricardus in 1. dist. 44. q. 1. explicat testimonium de connexionem partium mundi inter se, & in ordine ad Deum. Ego respondeo, locutum Damascenum de necessitate physica, non de morali, nec eum egisse de necessitate faciendi optima ex parte rerum factarum; sed ex parte modi eas facientis: probat enim munera faciendi, & prouidendi, non esse partita inter duos; sed vtrumque esse vni qui simul faciat, & prouideat: quia potentia sine prouidentia esset manca, sicut prouidentia sine potentia: vtraque autem tam perfecta est, vt nulla creatura possit fieri melius, quam ab vno eodemque principio potente & prouidente. subiicit enim haec verba: *Necesse enim est eundem esse eorum quae sunt, & factorem & prouisorem. Nam nec decet, nec consequens est, alium factorem esse eorum quae sunt, & alium prouisorem: sic enim imbecillitati debilitatq; vterque subiaceret; hic non faciendi, ille non prouidendi.*

SVBSECTIO III.

Patres sunt ab opposita sententia.

§. 51. **P**atres tam alieni sunt ab hac necessitate morali Dei, vt potius asserant summam Dei libertatem in producendis omnibus creaturis. Magister in 1. dist. 44. probat ex S. August. potuisse hominem fieri à Deo qui non peccasset: asserit autem August. certissimum esse eum fuisse meliorem. S. Thomas 3. p. q. 46. art. 3. nullam agnoscit in Deo necessitatem, nisi consequentem, in liberandis hominibus per Incarnationem. Haec autem sententia

rentia

fortia Deum adstringit Incarnationi necessitate morali. August. tom. 3. lib. 13. de Trinit. ait omnia æqualiter subiicere potestati Dei; hæc autem sententia, non ita: meliora enim subiicit necessitati morali. Et eodem 3. tom. lib. de Agone Christiani cap. 11. stultos appellat quærentes vtrum Deus poterit alio modo nos reparare. Concludit autem Deum potuisse omnino. S. Bernard. epist. 190. ait Deo fuisse ad manum alios modos nos liberandi; quæ autem nobis sunt moraliter impossibilia, non sunt ad manum. S. Bonavent. in 1. dist. 20. quæst. 6. ait potuisse Deum solo nutu. Recognosce Ricardum, Leonem, & alios quos adducam disp. 5.

§. 52. Vnde argumentor: Hic modus reparationis aut fuit optimus absolute inter omnes, aut non fuit; si non fuit, ergo Deus non tenetur necessitate morali facere melius: quia elegit hunc modum, quo melior est alius. si autem est optimus: ergo Deus non tenetur necessitate morali, ad eligendum optimum. siquidem hoc præterito potuit sine necessitate morali eligere alium minus bonum: quia ex August. omnes modi æqualiter subiacent potestati diuinæ, & omnino potuit eligere, quem voluit. item ex Bernard. ad manum habuit alios; ex Bonau. autem solo nutu: at, quæ nobis sunt necessaria moraliter, nec sunt nobis omnino libera, quia sunt in necessitate morali; nec nobis sunt ad manum, nec pendentes ex solo nostro nutu: hæc enim verba significant maximam omnium libertatem, facilitatem, & quæ sine vilo negotio fieri possunt & præteriri. Nec verò Nyssenus vel verbis fauet oppositæ sententiæ: Anselmus autem neruos contendit pro necessitate Incarnationis, non quidem simpliciter, sed ex suppositione, vt ostendam disp. 5.

SECTIO VIII.

Argumentum à priori pro necessitate morali Dei in eligendo maiori bono.

§. 53. **P**ROBATÀ flacciditate argumenti petiti à Scholasticorum ac Sanctorum auctoritate, libranda sunt pondera argumentorum à ratione, vt nullus ausit in eam inclinare sententiam.

SVBSECTIO I.

Proponitur.

§. 54. **S** Thomas 1. contra Gentes cap. 75. fundamenta iecisse videtur moralis necessitatis Dei in amandis creaturis. Sit igitur primum. Quisquis aliquem amat efficaciter & perfecte propter eius bonitatem; propter eandem amat etiam necessariò & efficaciter omnia quæ spectant ad perfectum eius statum: sed Deus efficaciter & perfecte amat se ipsum: item melius obiectum pertinet ad perfectiorem statum extrinsecum Dei: ergo Deus amat ex amore sui meliora necessitate morali. Maior probatur, quia hic est primus effectus amoris perfecti & maximi.

§. 55. Confirmatur Primò. Qui se amaret summè, amaret sibi quicquid sibi optimum est: sed Deus se amat summè, & creaturæ meliores sunt meliores Deo, quàm minus bonæ: ergo Deus amat

necessariò creaturas meliores. Confirmatur Secundò. Deus est summè liberalis: ergo necessariò communicat summa.

§. 56. Confirmatur Tertio. Creatura amas Deo minora bona extrinseca, indicat Deum ab ipsa amari minus, quàm ab alia illi amante maiora: ergo si Deus minora bona sibi amaret, indicaret se à se ipso amari minus bene, & consequenter nec quantum amabilis est. Nec obest creaturam perfici actu meliore: licet enim de eo non cogitent, amant Beati Deo optima bona propter ipsum.

§. 57. Confirmatur Quarto. Diuina voluntas est omnino conformis diuino intellectui: sed hic iudicat melius esse Deum à se ipso ita amari, vt nihil prætermittat eorum quæ sunt in maiorem suam gloriam: ergo id vult necessariò. Minor prob. quia iudicium illud est proprium ardentem amantis. Tandem: spectat ad artificem non solum arte polere, sed etiam illam exercere in actu secundo.

SVBSECTIO II.

Eius argumenti periculum.

§. 58. **F**ATEOR hæc argumenta proposita à Caiet. 1. q. 19. art. 3. quæ prius effecerat S. Thom. 1. contra Gentes cap. 75. quibus probat à Deo amari creaturas propter se ipsum amatum: timuit autem S. Doctor nequis deluderetur ad adstruendum in Deo amorem necessarium in creaturas. ob quod dixit cap. 81. *Si autem diuina voluntas est diuina bonitatis, & diuini esse ex necessitate, posset alicui videri, quod etiam aliorum ex necessitate esset: cum omnia alia velit volendo suam bonitatem (vt supra probatum est cap. 75.) sed tamen rectè considerantibus apparet, quod non est aliorum ex necessitate.* Hæc S. Thomas: apud quem, quæ sunt necessaria necessitate morali sunt necessaria, & ex necessitate eueniunt, vt constat ex §. 8. apud quem gratia est necessaria, quia sine illa necesse est aliquod peccatum committi: ergo non rectè considerat argumenta S. Thomæ, qui illis mouetur ad opinandum amorem necessarium Dei in creaturas.

§. 59. Probo igitur ea argumenta eadem vi probare necessitatem physicam Dei in amandis creaturis. Primum quod propositum est §. 54. Omne enim agens quod amat aliquem propter ipsum, quantum illum potest amare, illi amat, supposito illo primo amore, omnia quæ spectant ad perfectum eius statum tam necessariò, vt posito primo amore non possit physicè à secundo cessare. quia summus amor in amicum non est nisi qui eum amat quantum potest; quia si alius maior est possibilis, prior iam non est summus. comparati autem duo amores, alter separabilis à maiori bono pertinente ad statum amici; alius autem inseparabilis physicè: hic secundus est maior amor, quia vehementia maiore defigit amantem ad maiora amici bona: quia cum amare sit benefacere, magis amat qui eo amore non potest non benefacere, quàm qui potest. & quemadmodum amor amicitie infert necessariò amorem alicuius boni pertinentis ad statum amici: ita summus amor infert eandem necessitate amorem summi boni. Ratio à priori. quia beneficentia est physica proprietas. propter quod S. Thom. & Caietan. hæc argumenta effece-

S. Thom.
q. 1. art. 2.

te contra libertatem physicam Dei, ut eam respon-
sione tuerentur.

§. 60. Idem dico de Prima confirmatione ex §. 55. quia qui se amat summè, amat sibi optima-
tam necessariò, ut repugnet physicè coniungi amo-
rem illum cum carentia amoris rerum optimarum.
Pone amorem illum physicè separari à rerum o-
ptimarum amore, iam nõ esset summus amor, quia
amato non procurat bona summa. Secunda con-
firmatio ex eodem §. 55. ostendit eandem physi-
cam necessitatem: quia à summa liberalitate est
physicè inseparabile tale genus largitionis.

§. 61. Confirmatio Tertia ex §. 56. hæc explicat
apertè: est enim ab exemplo creaturæ, à qua in-
dicaretur Deum amari minùs, si ei non amaret o-
ptima bona extrinseca, quàm ab alia ea illi amante,
ob quod prima amaret Deum minùs, quàm ama-
bilis est: sed physicè repugnat Deum amari à se-
ipso minùs quàm amabilis est. repugnat item phy-
sicè ut Deus indicet ipsum à se non amari quantum
amabilis est, & ad hunc amorem pertinent per te
obiecta meliora: ergo implicat physicè ea non
amari à Deo. Quod affertur de beato, est exem-
plum apertum necessitatis physicæ. quia si amor
beatificus est summus, infert necessitate physica
amorem omnium bonorum quæ Deus vult ab ipso
amari; ergo Deus eadem necessitate sibi amaret
optima.

§. 62. Quarta confirmatio ex §. 57. id declarat
apertius. quia voluntas diuina ita est physicè ad-
stricta dictamini morali intellectus diuini, ut non
possit physicè ab illo abscondere: si enim Deus iudi-
cat melius esse ex parte sui aliquid facere, quàm non
facere, repugnat physicè ut illud non faciat: quia
quod non exequitur quod iudicat esse melius ex
parte operantis, deflectit à meliori ratione, quia
ratio esset dictamen illud: à quo deflectere est defi-
cere à ratione, quæ deflectio est mala moraliter, si
est in materia præcepti: est autem imperfecta, si est
in solius materia consilij: sed Deo physicè repu-
gnat tam imperfectio moralis, quàm moralis ma-
litia: ergo Deo physicè repugnat ut amet se minùs,
quàm est amabilis; aut minùs benè, quàm iudicat
se debere amari. ergo Deo est physica necessitas
ad amanda obiecta meliora.

SVBSECTIO III.

Obiectioni respondetur.

§. 63. Fortasse dicit aliquis, his argumentis pro-
bari moralem necessitatem amoris Dei
in creaturas, non verò physicam: inseparabilitatem
autem physicam oriri non ex physica necessitate;
sed ex morali. Respondeo ex se 3. physicam inse-
parabilitatem effectus & causæ esse physicam ne-
cessitatem; quia necessitas causæ cum effectu est in-
separabilis illorum connexio: ergo qualis fuerit
connexio & inseparabilitas, erit necessitas: sed per
te connexio ac inseparabilitas est physica: ergo &
necessitas est physica.

§. 64. Reijciamus autem verborum inuolucra:
Deo non est liberum vlllo genere libertatis, amare
seipsum minùs quàm est amabilis, ut in confessio
est apud omnes. item non est liberum Deo vlllo ge-
nere libertatis, agere contra dictamen melius diui-
næ sapientiæ: quia nulla ratione illi liberum est

operari malè, deserto dictamine rectæ rationis, aut
operari minùs benè ac perfectè deserto meliori di-
ctamine rationis, in quo consistit moralis imperfe-
ctio: sed hæc omnia annexa sunt per te amoris se-
parabili ab obiectis melioribus: ergo talis amor ita
separabilis physicè repugnat Deo. Fortasse censèbit
aliquis hoc verbo *necessitas moralis*, item *libertas phy-
sica*, palliari errorem propositum §. 21. de necessi-
tate physica Dei ad amandam creaturam melio-
rem in specie: quia & argumenta proposita id con-
tendunt, & proprietates illa annectitur physicè ma-
ximo amoris.

SVBSECTIO IV.

Respondetur ad argumenta ex subsectione I.

§. 65. **A** Ntequam respondeam argumentis,
pono sententiam Catholicam, quam
ad horum responsonem præmiserunt S. Thom. &
Caiet. ille 1. contra Gent. cap. 81. & 1. p. q. 19. art. 3.
hic eodem art. 3. versu *Ad hoc est*: Deum tam parui
pendere omnes creaturas in ordine ad ipsum, ad
suam vtilitatem, commodum, delectationem, vo-
luptatem aut felicitatem, ac si nihil omnino essent:
quia ex illis nihil omnino ei accrescit, quo sit volu-
ptuosior aut melior intensuè aut extensuè: hæc
autem bona pertinent ad maiorem creaturarum
bonitatem, commodum, felicitatem aut vtilita-
tem. Quæ Deo dicat recta eius sapientia.

§. 66. Ad argumentum ex §. 54. Respondeo
cum S. Thoma adducto, distingo Maiorem: qui
amat summè creaturam propter ipsam, amat ne-
cessariò quæ pertinent ad meliorem eius statum,
concedo Maiorem: qui amat Deum, summè amat
necessariò omnia quæ secundum se pertinent ad
meliorem statum extrinsecum Dei, nego Mai-
orem: amor enim summus in Deum non habet ne-
cessariam connexionem, nisi cum bonis, quæ Deus
magis vult ut existant; non verò cum illis, quæ se-
cundum se meliora sunt, ut ostendam §. 69. Disting-
uo item Minorem: creaturæ meliores attinent ad
meliorem statum extrinsecum Dei, à quo ipse Deus
aliquid acquirit magis pertinens ad eius felicitate-
m aut commodum, quàm ab alio statu minùs bo-
no, nego Minorem: à quo nihil accipiat magis
quàm ab alio, concedo Minorem, & nego conse-
quentiam. Ad probationem Maioris, respondeo,
proprietatem amoris summi esse connexionem
cum maiori bono amici, quando ex tali bono ei
accrescit aliquid, quod illius magis interest, quàm
minus bonum: non verò quando nihil interest
magis vnum, quàm aliud. Cum igitur Deus apertè
videat sua nihil interesse omnes creaturas, nec sta-
tum vlllum creatum, cur ex amore sui illas diligeret
necessariò?

§. 67. Ad primam confirmat. ex §. 55. respon-
detur eodem modo. Creatura se summè amans,
amat etiam necessariò quicquid sibi optimum est,
quia illius plurimum interest. Dei autem nihil in-
terest tota vniuersitas creaturarum, ob quod non
est opus illam amare; sicut homo nulla necessitate
amat ex amore sui obiectum quod iudicat nihil sua
referre: quod quia non animaduertunt oppositæ
sententiæ assertores, illuduntur. Caietanus in 1. p.
q. 19. art. 3. censet Deum à se ipso amari intensuè,
quantum amabilis est, quamuis nullam amet crea-
turam: extensuè autem magis amari à se ipso quo
plures

plures amat creaturas. Quæ sententia vera est, si amor in creaturas includit etiam amorem liberum Dei, ratione distinctum à necessario. Ostendi enim volum. 2. disp. 121. creaturas non amari à Deo propter seipsas, nisi cum dependentia ab ipso Deo amato propter ipsum, id est, non potest Deus illas propter seipsas amare, nisi etiam propter seipsum eas amet eodem actu: tunc habet Deus circa se plures amores, quibus magis se amat extensivè. Hoc autem non oritur quòd creaturæ sint meliores, aut minus bonæ; sed quòd Deus plures actus exercet circa seipsum: in quo consistit amor extensivè. Si autem amore creaturarum non geminatur ratione nostra amor Dei circa seipsum, Deus amore creaturarum non se amat magis extensivè: quia illa extensio non est ad Deum ipsum, sed ad creaturas. Est quidem amor ille ratione nostra maior extensivè, quàm si esset circa solum Deum: quia amare realiter creaturas, est quadam extensio amoris Dei ratione nostra.

§. 68. Ad secundam confirmationem ex eodem §. 55. respondeo, summam liberalitatem creatam communicare summa, quando rectè iudicatur illam communicationem aliquid interesse communicanti saltem quod attinet ad honestatem ipsius virtutis: at verò quando iure censetur nihil interesse, non est cur summa communicet. Deus autem meritò iudicat, communicationem externam, & gloriam inde derivatam nihil sua referre: maximè cum non possit liberalitatem exercere quin simul exerceat amorem sui: at sibi æquè inutilia sunt maiora bona, ac minora.

§. 69. Ad tertiam confirmat. ex §. 56. respondeo, maiorem aut minorem amorem creaturarum in Deum non esse accipiendum solum ex meliori aut minus bono obiecto creato, sed præcipuè ex maiori aut minori conformitate cum voluntate Dei. Deus enim interdum magis vult existentiam obiecti secundum se minus boni, quàm melioris: quemadmodum concurrente occasione exercendi religionem cum occasione exercendi misericordiam, Deus magis vult misericordiam exerceri, quàm religionem; cum tamen opera religionis sint secundum se excellentiora operibus misericordiarum: qui eo in euentu exerceret misericordiam, diligeret magis Deum quàm religionem exercens. Item in B. Virgine elegit Deus gratiam adoptionis, cum tamen perfectior esset unio hypostatica. Ita Beati habent necessitatè physicam aut moralem (vtram habeant, non disputo nunc) eligendi omnia, quæ vident magis placere Deo in ordine ad existentiam; ea autem circa quæ Deus non significat suam voluntatem, aut circa quæ significat voluntatem æqualem, amant omnino liberè, sine necessitate physica aut morali. Vnde nego antecedens ex §. 56. quia creatura non amans quæ Deo magis placent, indicaret Deum ab ipsa minus bene amari; non verò quæ non amaret creaturam secundum se meliorem. De perfectione morali vide disp. 62.

§. 70. Rogas: Cur creatura videns Deum, amat necessariò quæ illi magis placent, Deus autem se videns illa non amat necessariò? Respondeo, quia visio beata est optimum dictamen rectæ rationis: ratio autem recta dicit voluntatem Dei esse præferendam omnibus obiectis creatis, quia Deus est ultimus finis beati: coniunctio autem nostra cum ultimo fine maior est per maiorem conformitatem cum eius voluntate. Est igitur voluntas Dei regula nostrarum voluntatum, quas necessariò post se rapit Deus clarè visus: at verò creaturæ non sunt regulæ voluntatis diuinæ; cuius regula ratione nostra est ipsa bonitas Dei: cuius nihil interest magis harum quàm illarum creaturarum amor: ex hac autem independentia Dei à creaturis consideratur libertas Dei in illis amandis, & ex nostra dependentia ab ultimo fine oritur in nostro amore summa necessitas amandi ea quæ Deo magis placent.

§. 71. Ad 4. confirm. ex §. 57. respondeo cum S. Thoma, intellectum & voluntatem Dei circa creaturas differre in necessitate & libertate: quas enim necessariò ille cognoscit, has amat sine necessitate; sunt tamen conformes: quia intellectus iudicat eas posse amari, & non amari secundum infinitam sapientiam Dei, quia nihil interfuit ut Deus sit, nec ut bene sit. Quæ autè ita cognoscuntur, efferatus esset qui ea necessariò amaret. Cur enim nisi homo insanus rapiatur ab obiecto, quod meritò iudicat nihil interesse suæ, aut nihil interesse amici, aut ab ipso amico non amari? igitur amor nostri, aut amicorum, non potest nos cogere in eorum amorem à quibus tam sumus independentes.

§. 72. Ad ultimum respondeo, eo probari à S. Thoma, creaturas à Deo liberè amari: artifex enim non sibi tantum complacet in opere quantum in arte, ob quod gaudens de sua arte, potest velle eam non exercere. ita Deus gaudens necessariò de sua arte potuit velle eam non exercere, & non velle gloriam extrinsecam quam posset ex eo artificio accipere.

SECTIO IX.

Pro necessitate morali secundum argumentum ab effectu.

§. 73. Secundum argumentum est ab effectu: Deus enim elegit inter possibles seriem rerum optimam: ergo hoc est ingenium Dei. Quod argumentum à posteriori non est malum. Antecedens probatur Primùm, quia melior est mundus, quàm non mundus: eo enim explicantur Dei perfectiones. Secundò, quia in naturalibus mundus habet partes alias omnino materiales, alias spirituales omnino, tandem mixtas. Tertio, quia ordo gratiæ est optimus tum propter unionem hypostaticam, tum per gratiam sanctificantem. Quarto, quia monstratur providentia Dei in bonis procurandis, & permittendis malis. Quintò, quia S. Augustinus tom. 3. in Enchirid. cap. 27. dixit: *Melius esse iudicavit de malis bene facere, quàm mala nulla esse permitttere.*

§. 74. Respondeo Primùm, consequentiam esse malam. Pone opinionem Durandi & Aureoli de repugnantia infinitarum specierum, & hunc ordinem esse optimum inter possibles, & esse physicè impossibilem alium meliorem; non potest dici sine risu Deum necessitate aliqua antecedenti hunc elegisse, ut observavi §. 42. Quòd enim aliquis inear optimam vitæ rationem, an propterea videbitur id effici necessariò? Hic modus redemptionis censetur à Patribus optimus inter possibles; & tamen dixit Augustinus, alijs modis convenientissimis

8. Thom. 2. 2. ad 2. mis eam potuisse peragi; S. Bernard. alios fuisse Deo ad manum; S. Bonavent. solo natu nos potuisse esse redemptos. Ratio à priori, quia in agentibus liberis non arguitur ex optimo opere illud effectisse necessariò antecedenter; maxime, si semel tantum operentur. Hæc est consequentia huius argumenti. Expendamus antecedens.

§. 75. Quod apertè est falsum. Probavi ex S. August. lib. II. de Genesi ad litteram cap. 7. homines meliores futuros fuisse, impeccabiles, quam cum potestate peccandi. Quis neget potuisse omnes homines & angelos uniri hypostaticè Deo? Item, eos omnes potuisse creati cum visione beata in ipso creationis instanti? vel saltem potuisse omnes in gratia confirmari? Nonne mundus ille esset multò excellentior, quam hic? Quòd si vna humanitas vnita hypostasi Dei mundum tantum illustrat; quid esset si vniuersæ naturæ intellectuales eodem essent honore donatæ? Providentia Dei explicaretur tunc multò melius: quia virtutem providentem omnes intueremur. Nonne Christus cognoscit multò perfectiùs quam cæteri Dei providentiam, & omnia attributa? ergo, si omnes ea cognosceremus vt Christus, melius fuisset explicata providentia Dei: per effectus enim non cognoscuntur diuina. æquè bene, ac intuituè. Videtur ergo ex terminis notum, Deum potuisse eligere alios ordines longè excellentiores: Deus enim angelus in alio ordine est, ac Deus homo. Item hic ordo potuit fieri excellentior.

§. 76. Ad primam probationem antecedentis ex §. 73. respondeo, melius fore explicatas perfectiones Dei, mundo aliter factò, vt dixi §. 75. Deinde probaretur illo argumento, mundum non posse corrumpi: quamuis enim à parte antè non potuit esse æternus cum successione; at potest esse à parte post, & quamuis probavi ex August. & Bonavent. esse quæstionem stultam, cur Deus mundum non creauerit antea? at non est stulta quæstio, cur eum cum hac successione rerum non relinquit æternum? quia quocumque tempore antè mundus esset creatus, posset eadem quæstio fieri, quia ab æterno esse non potuit: potest autem esse in æternum: æternitas autem mundi melior est, quam non æternitas. Nec hæc quæstio est de sola replicatione indiuiduorum: sed de æternitate, & non æternitate. Quod clariùs patet in creaturis permanentibus, quas Deus potuit facere ab æterno, & habere æternam gloriam extrinsecam, & extrinsecum statum perfectiorem: cur ergo Deus eo caruit æternum? Nec hæc comparatio est inter res rationis eiusdem, sed diuersarum, nempe inter æternitatem & tempus: ergo Deus non fecit optima quæ potuit etiam in specie, quia æterna duratio specie differt à temporali, & est multò nobilior.

§. 77. Ad secundam probationem ex eodem §. 73. multi censent, possibilem esse substantiam supernaturalem, quæ in suis viribus Deum possit intueri cum impotentia peccandi: quæ multò nobilior esset cæteris substantijs creatis: ergo substantia mundi potuit esse multò nobilior. Deus item potuit fieri angelus. Multi præterea opinantur posse à Deo naturam irrationalem assumi. En potuit Deus constituere vnionem hypostaticam in triplici ordine: nempe in purè materiali ratione naturæ assumptæ, in purè spiritali, & in mixto. quos tres ordines potuit perficere Deus: alterum cum de-

pendentia à peccato præiusto in Adamo, alterum ad vitandum peccatum in natura angelica, tertium denique ob alios fines.

§. 78. Dices, in humanitate assumpta perficere omnes gradus. Contra: Ergo potuit Deus creare mundum sine angelis; quia illorum perfectio reperitur in homine; item sine brutis, propter rationem eandem. Quòd si necessaria fuit eorum ordinum perfectio formalis, vt mundus esset absolutè melior: ergo eandem ob causam necessaria fuit vnio hypostatica ad omnes illos, vt sint absolutè perfectiores, & mundus nobilior.

§. 79. Ad tertiam probationem ex eodem §. 73. respondeo, ordinem patriæ potuisse esse meliorem, tum propter substantiam supernaturalem possibilem in multorum sententia; tum propter infinitam intensionem, quam ego existimo esse possibilem: tandem, quia omnes potuerunt creati confirmati in gratia, & cum visione beata, & cum vnione hypostatica, quæ & singulis hominibus & vniuerso toti essent multò meliора, & melius essent explicata omnia attributa diuina, vt dixi §. 75. Ad quartam probationem respondeo, modum providendi creaturis esse optimum inter omnes ex parte Dei, quia providentia est Deus ipse, quæ in omnibus semper est æqualis. At verò ex parte creaturæ potuit modus providentiæ esse multò melior, id est, providentia diuina potuit producere effectus multò meliores & suauiores: quid enim suauius excogitari potest, prædestinatione omnium hominum & angelorum? Nonne sine permissione peccati contigissent nobis omnia illa bona absque malo tam portendentia?

§. 80. Ad vltimam probationem ex S. August. iam probavi, homines futuros fuisse meliores si non possent peccare, quam cum potentia peccandi, ex lib. II. de Genesi ad litt. cap. 7. Censuit ergo melius esse absolutè homines esse sine peccato, quam cum peccato: imò sine potentia proxima peccandi, quam cum illa. Quando ergo in Enchir. cap. 27. dixit melius iudicatum à Deo de malis bene facere, quam nulla mala permittere, accipiendus est non de meliori absolutè, quod iam negauerat: sed de meliori secundum quid ex suppositione quòd creaturam permisit suis moribus, & gratiam dare non auferentem arbitrium ad peccandum; gratiam autem dare quæ auferret istam fragilitatem, & redderet homines immunes peccati, vt factum est cum Christo, eius Matre, atque Beatis, censuit August. II. de Genesi ad litt. cap. 7. esse multò melius; & quidem per se notum est, quia dona illa sunt excellentissima, quæ nobis afferrent omnia bona, quæ nunc habemus ex gratia Dei, & abegissent omnia mala, quæ fragile nostrum arbitrium, & pernicax dæmoniacum inuexerunt in mundum.

§. 81. Meritò igitur Magist. in 1. Thom. Bonau. Ricard. & alij Scholastici docuerunt, potuisse effici à Deo hunc mundum cum multò maiori perfectione accidentaria: item & alium distinctum specie multò nobiliorem.

SECTIO X.

Tertium argumentum.

§. 82. Ad probandam non solum moralem, sed etiam physicam necessitatem Dei ad amandas

mandas creaturas meliores, vñs fui hoc argumen-
to similiiori veri: Deus non potest physicè amare
obiectū malum, ita vt posset dici à Deo amari pec-
catum: ergo nec potest amare obiectum minùs
bonum, meliori prætermisso. Probo consequen-
tiam: quia sicut amor de obiecto malo esset mora-
liter malus: ita amor de obiecto imperfecto, est
moraliter imperfectus: Sed Deo repugnat amor
moraliter imperfectus: ergo & amare obiecta mi-
nùs bona melioribus prætermissis. Probo maio-
rem primū à priori, quia à bonitate aut malitia
obiecti sumitur moralitas actuum: tum ab exem-
plo, quia creatura amans obiectum minùs bonum,
meliori prætermisso, exercet amorem imper-
fectum.

§. 82. Respondebis Primò, Dei actus non pen-
dere physicè à creaturis: ob quod eius actus non
accipiunt ab ipsis perfectionem. Respondeo, hanc
independentiam physicam non esse satis: quia
quamuis Deus ita est independens, non tamen po-
test operari malè, quia concluditur per locum in-
trinsecum, non fore Deum qui posset peccare: ita
sequetur per locum intrinsecum, non fore Deum
qui posset esse imperfectus. Vt igitur ea physica in-
dependentia est coniuncta cum physica impoten-
tia peccandi: ita etiam est coniuncta cum impo-
rentia physica ad imperfectionem. Item, vt actus
Dei per locum intrinsecum esset malus, ita actus de
obiecto imperfecto esset imperfectus.

§. 83. Secundò respondebis, Deum numquam
amare creaturas, nisi simul eas propter seipsum
amando: vt latè probaui volum. 2. disp. 12 r. à lect. 6.
Inde deducitur, actum Dei de obiecto creato mi-
nùs bono esse tam perfectum, ac de meliori: quia
semper est in suprema specie perfectionis moralis,
quæ est charitas in Deum. Quæ responsio non est
contemnenda: impugnatur tamen, quia duo actus
charitatis creatæ sunt inæqualiter boni, quando
præter Deum altero amatur obiectum creatum
melius quàm altero: actus enim amans Deum &
simul propter ipsum amat vclsi perdice, non est
tam bonus, quàm alius amor Dei æquè intensus,
& simul amans crudele subire martyrium. Ratio à
priori, quia obiectum materiale proximum con-
fert bonitatem aut malitiam actui. Auctores au-
tem, qui negant ab obiecto materiali accipi perfe-
ctionem, accipiendi sunt de obiecto materiali re-
moto, non de proximo, quod ab ipsis appellatur
formale quod.

§. 84. Vt argumento respondeam; præmitto
independentiam physicam actuum Dei ab obiec-
tis creatis, ob quam tam bonus est actus quo Deus
cognoscit muscam, ac quo angelum. Præmitto Se-
cundò, perfectionem moralem considerandam
esse ex dictamine rectæ rationis: quando ratio di-
ctat obiectum aliquod habere malitiam obiecti-
uam: tunc amor circa illud esset malus, quia esset
contra dictamen rectæ rationis: ob quod Deus
non potest exercere actum malum, quia numquam
potest diuelli à dictamine suæ sapientiæ. Quapro-
pter potest creaturas amare, quia sapientia Dei in
illis reperit bonitatem dignam amari: & quia ille
amor non potest absonare à sapientia Dei, non po-
test esse malus.

§. 85. Eadem sapientia dicitur Deo, se æqualiter
fore perfectum amore creaturæ minùs bonæ, ac
melioris: iterum, omnino odio quoad existentiam
Per. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

& amore. Ratio à priori huius dictaminis est dur-
plex. Prima ab independentia physica actuum Dei
ab obiectis creatis; quia Deus nihil perfectionis
accipit physicè à creaturis, quo nostri actus discrimi-
nantur à diuinis: nostri enim sunt physicè me-
liores circa obiecta meliora. Secunda est ab inde-
pendentia physica ipsius Dei à creatis obiectis.
Tota perfectio moralis actuum est in ordine ad vl-
timum finem: illi sunt perfectiores quibus vltime
fini magis vnimur per affectum: hæc autem vnio
respectu actuum Dei semper est æqualis, siue crea-
turas odio habeat, siue amore: quia Deus æquè
amat seipsum, siue illas amet, siue oderit. Huius et-
iam ratio est, quia, qui amat finem actu infinito,
non est opus ad perfectionem moralem, vt illud
amet à quo finis omnino est independens non so-
lùm in esse, sed etiam in bene esse. Vnde qui amat
sanitatem, & omnia cum quibus tam perfectè po-
test obtineri quàm cum alijs, eam tam bene amat,
quàm qui eam amat per alia perfectiora per quæ
non obtinetur melius. Cùm igitur Deus videat se
esse vltimum finem rerum omnium, & ab illis in-
dependentem tam in esse, quàm in bene esse, rectè
iudicat se tam perfectum esse odio ac amore crea-
turarum. quia se ipsum æquè amat vtrâque ratio-
ne. Cùm autem aliunde eius actus sit infinitus, non
pendet physicè ab obiectis.

§. 86. Econtra verò actus creaturarum pen-
dent physicè ab obiectis per physicum influxum
mediatum aut immediatum, ob quod actus de
obiecto meliori cæteris paribus est physicè melior:
perfectio autem moralis frequenter pendet ab ob-
iecto perfectiori, non quòd sit perfectius præcisè;
sed quia frequenter Deo magis placent perfectio-
ra. Regula igitur nostræ perfectionis est voluntas
Dei: quando Deus præfert existentiam obiecti se-
cundùm se minùs boni, existentia obiecti se-
cundùm se melioris: amare obiectum illud minùs bo-
num perfectius est quàm amare obiectum aliud
secundùm se melius: quia circumstantia maioris
beneplaciti Dei rependit maiorem bonitatem na-
turalem. Non disputo nunc, vtrum obiecta se-
cundùm se inæqualiter bona amentur æquè perfectè,
quando Deus sibi complacet æqualiter in vtroque:
sed assero perfectiorem esse amorem obiecti magis
amati à Deo. sic melius est opitulari egenti, quàm
sacris interesse, quando non potest vtrumque com-
poni, nec æger deseri absque incommodo graui.
Misericordiam enim volo, & non sacrificium. Cur au-
tem diuina voluntas sit regula nostræ, esset stulta
questio.

§. 87. Hinc facilè patet ad argumentum ex §. 81.
concesso antecedenti & negatâ consequentiâ.
Ad probationem, nego Maiorem: quia obiectum
malum non potest amari secundùm rectam ratio-
nem; minus autem bonum potest, quando amore
illius amans coniungitur Deo æquè bene, ac amo-
re boni maioris. Ad primam probationem Re-
spondeo, malitiam sumi per auersionem ab vlti-
mo fine: Deus autem à seipso auerti non potest.
Maior autem perfectio moralis sumitur per ma-
iorem conuenientiam cum vltimo fine, & coniu-
ctionem affectiuam cum illo. Creatura autem est
æqualiter inutilis Deo, & Deus æqualiter indepen-
dens ab omnibus: Ob quod quamuis in se sint inæ-
quales, in vtilitate autem ad Deum sunt æquales,
quia sine illis est tam bene quàm cum illis: Deus
autem

S. Thom.

q. 1. art. 2.

S. Thom.
2. 2. 2.

autem suo affectu semper est sibi æquè coniunctus. Ad secundam probationem, nostræ voluntatis regulam esse beneplacitum Dei; cui magis coniungimur, quo magis illud sequimur.

§. 88. Obijcis Primò: Maior bonitas moralis obiecti colligitur ex ipsius natura antecedenter ad voluntatem Dei: ergo perfectio colligitur non ex Dei voluntate. Probo antecedens: quia ideo hoc obiectum magis placet Deo, quia est secundum se melius: ergo etiam est melius respectu voluntatis Dei.

§. 89. Distinguo antecedens: obiectum habet maiorem bonitatem moralem obiectivam in esse possibili. concedo antecedens: habet maiorem bonitatem in esse existentia, & absolute antecedenter ad voluntatem Dei. nego antecedens, quia existentiam habent obiecta creata cum dependentia à voluntate antecedenti Dei: Deus autem sapius vult magis existentiam obiecti minus boni. Ad probationem antecedentis distingo antecedens: ideo Deus magis amat obiectum melius in esse possibili quàm minus bonum. permitto antecedens: ideo illud magis amat in esse actuali, nego antecedens: non enim amat obiecta existere, quia meliora sunt, sed quia vult. nec enim voluit tractus obiecto, sed se inclinans ad volendum: ipse autem sibi æquè est coniunctus: nos autem illi non satis perfecte coniungimur nisi sequentes maius eius beneplacitum, à quo sumitur præcipua ratio nostræ perfectionis moralis. Huc spectat nostratum adagium: *Fac quod tibi præcipit Deus, & cum illo in mensa recumbes.*

§. 90. Obijcis Secundò: Obiectum est bonum comparatione Dei, & actus Dei est bonus circa illud: quamvis Deus illo actu non se coniungat melius sibi ipsi, quàm sine illo: ergo actus Dei de obiecto meliori erit melior, quamvis illo se non coniungat sibi melius. Nego consequentiam: quia ut obiectum sit bonum, satis est si sit naturæ rationali conueniens. item, ut actus de illo sit bonus, satis est si fiat ex dictamine rectæ rationis: quæ omnia contingunt obiectis, & actibus diuinæ voluntatis. ut autem sit melius respectu ultimi finis, opus esset ut hic finis haberet ab illo maiorem dependentiam, aut in esse simpliciter, aut in bene esse: at ultimus finis æquè est ab omnibus independens, ob quod omnia creata sunt æqualiter inutilia ut Deus sit simpliciter, & ut bene sit. Vnde Deus nulla ratione tenetur illa eligere ex sui ipsius amore; nos autem tenemur eligere meliora lege perfectionis, quia illis magis coniungimur Deo, ea magis volenti.

SECTIO XI.

Vltimum pro eadem necessitate argumentum.

§. 91. **A**rgues tandem: Deus habet infinitam inclinationem ad obiectum melius, quia illa inclinatio est ipsamet bonitas Dei, quæ est infinita: ergo Deus caret libertate in eis eligendis, quia quo maior est inclinatio, libertas est minor: ergo infinita inclinatio nullam relinquet libertatem.

§. 92. Fortè respondebis negata consequentia, quia Deus ad Incarnationem v. g. habet infinitam

inclinationem ob suam gloriam, & nostrum commodum; item ad non incarnandum habet etiam inclinationem infinitam propter suam gloriam & incommoda nostra, quia homines eo beneficio abusi maioribus redduntur digni supplicijs. Quæ duæ inclinationes cum infinitæ sint, mutuo rependantur, & relinquunt voluntatem Dei in trutinæ æqualitate: ob quod Deus est æquè liber in eligendo meliori ac minus bono obiecto.

§. 93. Respondeo, hæc acutius cogitata, quàm veriùs. Primùm, quòd Deus numquam posset eligere nisi inter bona æqualia omnibus consideratis, quia si rationes ita rependantur, ut tot bona & æqualia sint in vtraque parte contradictionis: ergo semper eligit Deus æquè bonum. Quòd si aliqua ratio deficiat, & non sit trutinæ æqualis, iam Deus non poterit eligere quod videt habere pauciores boni rationes. Deinde non potest esse trutinæ æqualis: quia si Deus habet infinitam inclinationem ad benefaciendum homini per Incarnationem, & ad vitanda omnia eius mala; cum hoc vltimum possit, non habebit libertatem ad prætereundam Incarnationem, quia vtrique inclinationi poterit satisfacere.

§. 94. Dices: Deus habet infinitam inclinationem ad bona, quæ oriuntur ex permissione peccati. Contrà: Maiora bona oriuntur ex omnibus naturis intellectualibus vnitis hypostaticè Deo, quàm ex permissione peccati, quia cum permissione peccati coniuncta est iniuria Dei, ad quam vitandam ipse habet infinitam inclinationem: item omnia attributa diuina excellentius essent omnibus nota: ergo Deus non haberet libertatem ad permittendum peccatum. Confirmatur: bona quæ oriuntur ex permissione, sunt intermixta multis malis quæ augrunt voluntatem Dei ab obiecto: bona autem ex vnione hypostatica omnium creaturarum sunt pura, à quibus non est cur Deus auertatur: ergo Deus magis inclinabitur ad hæc quàm ad illa.

§. 95. Ut respondeam argumento, non disputo Vtrum inclinatio Dei sit infinita subiectiuè tantùm ac materialiter, an etiam obiectiuè & formaliter: ut enim amor Dei in nos est infinitus ex parte Dei, ex parte autem obiecti finitus: ita & inclinatio ad creaturas amandas. Hocigitur prætermisso, inclinatio est duplex: altera minuens cognitionem intellectus: altera non minuens. Prima est in appetitu sentiente, cuius passione obcæcatur intellectus vehementiori apprehensione obiecti sensibilis: hæc minuit libertatem, si est vehemens, & interdum rapit, ut vehemens ira. Secunda in habitu acquisito, qui nec tollit, nec minuit libertatem ad agendum: quia non minuit cognitionem, nec commouet passiones: si quis haberet habitum acquisitum infinite intensum, non esset minus liber quàm cum remisso. Ad argumenti formam. Deus habet infinitam inclinationem minuens cognitionem de sua æquali independentia ab omnibus creaturis: nego antecedens. habet infinitam inclinationem sine immutatione cognitionis: prætereat antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem: inclinatio minuens cognitionem, minuit etiam libertatem; secus quæ non minuit cognitionem. Siue ergo Deus habeat maiorem complacentiam in maius bonum, siue inclinationem specialem; adhuc nulla necessitas infertur: quia non

non minuit rectū dīctamē sapientie diuinæ, Deum tam esse independentem ab hac creatura, quā ab alijs: & omnes esse æquales quod attinet ad intrinsecum eius esse, ac bene esse. Hoc dictamen reddit æquales moraliter omnes actus liberos Deicirca creaturas. quia perfectio moralis est qua magis coniungimur Deo: Deus autem æquē sibi coniungitur odio ac amore creaturarum. Parum ergo interest maior inclinatio Dei, quia est ad bonum inutile ad intrinsecam Dei felicitatem: pertinet autem ad alienam; à qua videt se minimē pendere in bene esse.

SECTIO XII.

Primum argumentum contra necessitatem moralem Dei.

§.96. **E**xplicui imbecillitatem oppositæ sententiæ, nunc directē oppugnandę: Primum, quia, vt explicatur, non est necessitas moralis, sed physica. Dicunt sequi per locum intrinsecum, non fore Deum qui amatet minus bonum. Vnde coniuncta sunt hæc duo, *Deus amans melius bonum*: destructo autem amante melius bonum, destrueretur etiam Deus: vnde Deus est physice inseparabilis à meliori bono. Vnde arguo: Deus & melius bonum habent æqualem necessitatem in existendo: sed Deus habet necessitatem physicam: ergo & melius bonum. Maior ponitur ab oppositæ sententiæ auctoribus, & quidem deducitur necessariò ex sententiā S. Thomæ adducti §. 8. constituentis necessitatem moralem in physica necessitate ad effectum in commune cum libertate in particulari: ergo qui admittunt necessitatem moralem in Deo, admittent æqualem necessitatem in existendo inter Deum, & maius bonum. Minor est per se nota: consequentia autem est legitima.

§.97. Obijcies, non sequi ex necessitate morali necessitatem in existendo æqualem inter Deum, ac maius bonum: quia homo habet necessitatem moralem ad peccatum in cōmune, nisi gratia adiuetur; & per locum intrinsecum sequetur non esse hominem qui sine gratia vitaret peccata omnia. Respondeo, eandem esse rationem in Deo & in homine: admissa enim illa hypothesi non futurum hominem qui sine gratia non peccaret, peccatum in commune est homini physice necessarium: quia habet eandem necessitatem in existendo, quam habet homo. Vnde concluditur alterum è duobus; aut non sequi Deum non futurum, qui non operaretur melius, & Deum esse separabilem physice à meliori bono; aut Deum habere physicam necessitatem ad obiecta meliora. qui est error propositus §.21.

§.98. Confirmatur, hanc esse physicam necessitatem: quia aut Deus potest physice abstinere à meliori bono, sicuti physice potest abstinere ab hoc individuo: aut non potest physice abstinere ab amando meliori bono in communi magis quàm potest abstinere ab amando seipsum. si detur hoc secundū, iam constituitur physica necessitas: si autem detur primum, concluditur aperte non sequi non esse Deum qui non operaretur melius. quia voluntas Dei consideratur physice indifferens ad amandum, & non amandum meliorem creaturam.

Per Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

ram: ita vt tam amor quàm non amor sint quasi liberi effectus voluntatis Dei orti ratione nostra à voluntate Dei, quasi in actu primo consideraretur indifferens ad vtrumque cum imitatione nostræ voluntatis, quæ in actu primo consideratur indifferens ad amorem liberum & non amorem. Sed ex compositione voluntatis liberæ cum vtriusque parte contradictionis non sequitur per locum intrinsecum, non fore agens illud quod talem compositionem faceret. v.g. Si homo habet physice liberum arbitrium ad vitanda omnia peccata sine gratia, non sequitur non fore hominem qui ea vitaret, quia tam cōmissio peccatorum quàm vitatio esset hominis liber effectus: effectus autem liber non destruit suam causam per locum intrinsecum, sed potius cum illa componitur: ergo eadem ratione non sequitur per locum intrinsecum, non fore Deum, qui non amaret meliora, quia tam amor, quàm non amor, meliorum esset liberè à voluntate Dei, quasi in causa ratione nostra.

§.99. Tandem, vt defenditur necessitas moralis, potest physica quoque defendi: quia omnia argumenta pro necessitate morali, premunt physicam eadem ratione. Secundò, quia libertas Dei in eligendis his creaturis potius quàm alijs, constitui potest cum necessitate physica ad eligendas meliores. Item omnia testimonia Scripturæ & Patrum, quibus exponitur omnia à Deo facta liberè & consilio, potuisse que Deum ab illis cessare, Deumque nobis fuisse benevolentissimum, possunt facile componi cum physica necessitate, ad effectus in communi, maximè si necessitas moralis explicetur per physicam connexionem Dei cum optimis creaturis.

§.100. Rogas, cur sit absurda necessitas physica ad creaturam in communi? Respondeo, quia tollit liberum arbitrium Dei circa viuensitatem creaturarum, nec illum constituit perfectè liberum. Secundò, quia adimit Deo liberalitatem, omnemque virtutem benefactricem in excellenti gradu. quia si Deus non potest non fieri homo, nec potest non mori, nec potest non redimere genus hominum: ergo Deus non commendat multum charitatem suam in genere humano. quamuis enim potuerit non assumere hanc indiuiduam humanitatem, & non creare hos homines indiuiduos, & illis non applicare auxilia efficacia, & hos numero non prædestinare: & quamuis his indiuiduis fuerit beneficus: at non propterea est liberalis. quia Incarnationem dedit necessariò, nec potuit non prædestinare multos. quæ minuunt liberalitatem.

§.101. Quod pater exemplo œconomi, cui herus præcipiat distribui bona inter egenos, ipse autem œconomus eligat hos potius quàm illos; erit quidem beneficus illis egenis quos elegit, quia potuit illis prætermisis, eligere alios: at minimè est liberalis, quia tenetur bona illa partiri: quod non est in eius potestate, quia non posset sine peccato illa non partiri. Demus, œconomum carere libertate ad violandum heri præceptum; an erit liberalis in partitione bonorum, quæ nullo pacto retinere potest? Est ergo liberalitas virtus distribuens ingentia bona, quæ possent non distribui: electio autem horum indiuiduorum præ alijs non est liberalitas, sed benevolentia in hos potius, quàm in illos. Si quis esset fatali necessitate adstrictus ad

*S. Thom.
2. 1. art. 2.*

erogandum argenti talentum egentibus; esset tamen illi liberum eligere alterum è duobus talentis, & alterum è duobus egenis; is si se iactaret liberalem, quòd elegerit hoc numero talentum huic numero egeno, nonne irrideretur? Quasi verò in electione huius præ alio colluceret honestas aliqua pertinens ad liberalitatem.

SECTIO XIII.

Secundum argumentum contra necessitatem eandem.

§. 102. **S**ecundum argumentum est, quia in Deo est inaudita necessitas moralis, cuius adhuc nullus meminit Patrum, aut Theologorum. Necessitas enim Dei in amando est bipartita apud omnes Theologos: in antecedentem, & subsequentem, siue ex suppositione: neutram diuisere Theologi in physicam & moralem; sed vtramque admittunt esse physicam: è quibus antecedens non relinquit liberum arbitrium ad ea ad quæ est necessitas: altera non solum relinquit, sed supponit liberum arbitrium iam exercitum; propterea vocatur necessitas consequens, est quæ necessitas secundum quid, & absolute libertas.

§. 103. Necessitas moralis est cum imperfectione, nec sequitur intrinseca principia nature, nec hominem aut angelum secundum se: sed cum aliquo euentu accidentario, vt dixi §. 11. Quia in homine necessitas moralis ad peccandum oritur ex imperfectione, quia liberum arbitrium non potest physicè sine gratia vitare omnia peccata, vt constat ex §. 8. in quadam sententia. vel est infallibilis connexio & frequentissima peccati cum arbitrio sine gratia propter difficultatem attendendi, & resistendi appetitui, & eius illecebris propter diuisionem spiritus & carnis: quæ arguunt imperfectionem in intellectu parum considerato & tracto apprehensione vehementi sensilis obiecti. quæ non possunt sine absurdo in Deo considerari.

§. 104. Item est moraliter impossibile, vt sanus se præcipitem agat sine vrgenti occasione: quia nullus nisi ad vitanda damna saltem in apprehensione grania, eliget mortem, acerbolque dolores. Item homo potest à Deo instrui talibus auxilijs, & cognitione æternorum cruciatuum, felicitatis æternæ, separationis à Deo, & id genus alia, vt eligat millies mortem obire potius, quàm vel leuissimè Deum offendere, aut ab eius voluntate in minutissimo consilio separari: ob quod Beatus tam est adstrictus maiori beneplacito Dei, vt illi physicè aut moraliter repugnet ab eo diuelli. An Deus tantum pendet à creaturis, quantum homo à Deo: aut eius voluntas tantum pendet in honestate à meliori obiecto creato, quantum homo à maiori beneplacito Dei: aut creatura melior tam erit regula diuinæ voluntatis, quàm humanæ diuinæ?

§. 105. Dices, Deum tam esse sui amantem, vt ægerimè possit diuelli à maiori sua gloria. Contrà primū: Si diuelleretur, sequeretur aliquid absurdi: an non sequeretur? Si sequeretur: ergo Deus physicè non potest illud facere. Huc enim facit Anselmus l. 1. c. 10. *Sicut enim (inquit) in Deo quantumlibet paruum inconueniens sequitur impossibilitas, ita quantumlibet paruum rationem, nisi ma-*

iori vincatur, sequitur necessitas. Censuit igitur Anselmus, Deum tam necessariò sequi rationem, nisi vincatur alia maiori, quàm necessariò vitat absurda: hæc autem vitat necessitate physica, quia in eius amore non est locus absurdo: ergo Deus necessitate physica sequitur quod melius est. Si autem nullum sequitur absurdum, ergo Deus nulla necessitate id facit: quia potentia expedita est: nec ex parte obiecti est absurditas, sed conuenientia. Vnde igitur orietur tanta difficultas, vt afferat necessitatem moralem?

§. 106. Tandem modus constituendi eam necessitatem, est omnino proprius necessitatis physice: tum quia oritur ex Deo secundum se, quod §. 5. ostendi ex S. Thoma, conuenire physice necessitati; tum etiam, quia constituitur hæc voluntas Dei de obiecto meliori tam necessaria in eo amando, quàm Deus in existendo.

SECTIO XIV.

In Deo nulla est necessitas ad Incarnationem aut creaturam aliquam.

§. 107. **A**sferendum ergo, Deum tam liberum esse in Incarnatione, & quauis creatura producenda, vt potuerit eam non producere, id quæ tam facilè, vt sine vlla specie difficultatis potuerit abstinere à creatione omnium creaturarum, quàm ego possum abstinere ab obiecto, quod apprehendo mihi esse omnino inutile. Et quemadmodum opposita sententia negat Deo omnem necessitatem physicam & moralem in eligendo alterum è duobus indiuiduis æqualibus, ita ego eandem constituo in creatione omnium creaturarum. Authores adduxi sect. 6. & 7.

SVBSECTIO I.

Cuiusdam viri docti probatio.

§. 108. **V**tr quidam doctus, & ingenio acris, vt prober Deum esse liberum in creatione omnium creaturarum, ponit Primū, Deum semper operari melius priuatiuè: id est, non potest non operari nisi illud, quo nihil ipsi melius est. Est autem melius Deo id ex quo capit voluptatem maiorem: priuatiuè autem melius est Deo id ex quo tantam capit voluptatem, vt ex alio non possit capere maiorem. Ponit Secundò, Deum nihil creatum amare, nisi propter se ipsum amatum, ob quod omnis amor circa creaturas est in specie maximæ perfectionis: quia omnes sunt in specie amoris Dei. Tertiò ponit, omnia obiecta creata, & eorum carentiam esse Deo æqualiter bona, quia tam ex creaturis, quàm ex earum carentia Deus capit voluptatem æqualem. Ex creaturis, quia illarum bonitas ipsi placet: ex carentia verò, quia videt ex illa nihil sibi mali contingere. si enim totum hunc mundum, & omnes possibiles præterisset, videret se tam beatum esse atque felicem sine mundo, ac cum illo. Vnde probat Dei libertatem in producendis omnibus creaturis, quia omnis actus Dei est physicè æqualiter perfectus circa creaturas, & earum carentiam. ita omnis actus Dei est in specie morali perfectissima: in indiuiduo autem

omnes

omnes sunt æquè boni, quia obiecta materialia, quæ amant, afferunt Deo voluptatem æqualem, ob quod sunt Deo æqualiter bona, licet inter se inæqualiter. Hinc concludit, Deum æquè esse liberum ad obiecta inter se æqualiter bona ac ad inæqualiter.

§. 109. Contrà: Admitto huic argumento omnes creaturas esse comparatione Dei æqualiter bonas privatiuè, id est, nullam esse alijs meliorem in ordine ad utilitatem, voluptatem & felicitatem Dei, in quibus æqualiter est independens ab omni creatura. Contendo autem probare, hanc independentiam non esse satis ab hoc auctore probatam, quia ex peccati existentia, & ex carentia redemptionis, non caperet Deus voluptatem ratione nostra distinctam ab ea, quam caperet sine illis obiectis: aliunde autem ex Incarnatione ac redemptione capit novam, ratione nostra, voluptatem, quam non capit per scientiam simplicis intelligentiæ, & sine carentia horum obiectorum: ergo Deus non librat æquali lance voluptatum, Incarnationem, & eius carentiam: ergo necessariò eligit Incarnationem. Probo antecedens: quia voluptas capta ex Incarnatione ut existènte pendet ratione nostra ab ea existentia; est enim complacentia in bono, quia existit, quæ complacentia est gaudium, & dirigitur per scientiam liberam: quia per intelligentiam simplicem non cognoscitur creatura ut existens: ergo illa complacentia est nova ratione nostra. Similem voluptatem non capi ex carentia mundi, probo: quia carentia, ut exercita, non est bona transcendentaliter: imò verò est malum transcendente, quod consistit in carentia entis: ergo secundum se non potest placere Deo: sed, si placet, est ad alium finem. At non potest placere in ordine ad voluptatem de impassibilitate Dei, & ipsius independentia ab omnibus creaturis: quia carentia creaturarum est inutilis ad cognoscendam impassibilitatem Dei, quia comprehensione sui cognoscit se omnino esse impassibilem, nec posse aliquid felicitatis amittere propter existentiam, aut carentiam creaturarum.

§. 110. Dices Primò, carentiam creaturarum ferre ad cognoscendam actualem impassionem Dei. Contrà: Hæc actualis impassio non cognoscitur ex carentia creaturarum; sed ex comprehensione simplicis intelligentiæ: quia quando cognoscitur repugnantia ad aliquem effectum, cognoscitur actualis carentia ipsius effectus, quia à potentia ad actum negatiuè valet consequètia. Deus enim cognito lapide cognoscit illum non posse videre, nec videre: quod enim aliud medium est necessarium ad cognoscendam carentiam actualem visionis in lapide, quàm ipsius lapidis impotentia ad videntum? Ergo ex carentia mundi non capit Deus novam voluptatem de sua impassione: quòd si illam capit, eandem etiam capiet ex mundi existentia, quia videt se ex creatione mundi nec esse lassatum, nec minutum vitibus, nec ex creaturarum miserijs ipsum aliquà tangi. Cum igitur ex creatione mundi Deus capiat duas voluptates, alteram de existentia mundi secundum se, quam amat propter seipsum amatum; alteram de impassione sui cognita per actualem cognitionem mundi: cum item ex carentia mundi non capiat nisi voluptatem vnam, quæ est de sua impassione; ex ipsa autem carentia secundum se nullam capit voluptatem, quia secundum

se non est bona, sed mala: ergo Deus non est tam voluptuosus cum carentia mundi quàm cum mundo. Quod argumentum satis est efficax ad hominem.

§. 111. Dices Secundò, Deum ex comprehensione sui cognoscere actualem impassionem speculatiuè, per cognitionem autem mundi eam percipit per experiètiã. Contrà: Etiam creato mundo Deus posset dici cognoscere impassionem suam per experiètiã: quia experitur se non tangi vlla creaturarum miseria: ergo plures voluptates capit Deus ex mundo, quàm ex eius carentia. Item cognitio experimentalis sumitur ab aliquo effectu causato ex causa existente: vel sumitur à carentia mali, quod inferri potuit, non tamen est illatum. Prima ratione Christus dicitur didicisse obedientiam ex his quæ passus est; id est per dolores atque cruciatibus expertus est Christus, quanti facienda sit obedientia voluntatis Dei, à qua ipse nulla ratione voluit discedere, etiam vitandæ mortis gratia. Sic dicit Virgiliana Dido!

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Hæc ratione Deus non potest experiri suam impassionem, quid enim experitur à creaturis? Secundo autem modo experimur bona. Cum enim ego timeam capitis dolorem ex assuetudine studiorum, videns me ex illis nullum dolorem percipere, lætor experiètia ipsa impassionis: at quid efficit carentia mundi in Deo huic simile? An Deus videns me scabie exedi, accipit voluptatem, quia videt se non esse scabiosum? quid opus erat Deo hac collatione, cum per scientiam simplicis intelligentiæ eà vratur? aut fortè angelus voluptatem capiet ex mea pleuritide, quia ipse videt se illà immunem? Constet ergo Deum, siue creaturas amet propter se ipsas, siue propter ipsum, non esse magis voluptuosum illarum amore quàm odio.

SUBSECTIO II.

Ratio à priori.

§. 112. Vnicum fundamentum à priori est, & fide sanctum, & per se notum: etenim capite 22. Iob & 35. statuitur Deum nihil omnino boni, aut mali accipere aut pati ex creaturarum bonitate, aut malitia: eum quæ tam voluptuosum, tam beatum atque felicem esse, nobis malè aut benè operantibus, omnesque creaturas Dei nihil omnino interesse; quia ipse nullius est indigus: nec ipsius magis referre quàm si nihil omnino essent. Hæc cum apud Iob iactaret Elu, acutè irridetur à S. Gregorio, cū essent omnibus nota. Hinc S. Thomas 1. p. q. 19. art. 3. & 1. contra Gent. cap. 31. Mag. in 1. dist. 44. & in 3. dist. 20. S. Bonauent. in eas dist. & ceteri Scholastici probant libertatem Dei in producendis creaturis.

§. 113. Dices, creaturas meliores ratione sui non esse amabiles necessariò; esse tamen ratione Dei. Contrà: S. Thom. asserit, ex imperfectione creaturarum, & Dei ab illis independentia oriri, ne amor Dei de se ipso deriuetur necessariò ad creaturas. Quis enim homo prudens rectè considerans sua nihil interesse scribere potius quàm legere, rapieretur necessitate morali ad eligendam lectionem potius, quàm scriptionem. Hic mos est insanorum hominum, non peccatorum: cum igitur

S. Thom.
q. 1. art. 2.

Deus cognoscat vniuersam creaturarum collectionem sua nihil magis interesse, quam si essent omnino nihil, cure amore sui illis adstringetur necessarium? ob quod existimo minus bene cognosci Deum ab opinantibus eius moralem perfectionem

pendere ex electione creaturarum; illarumque omissionem esse argumentum Dei à se minus amati. An ergo me minus amo, si ea non amo, quæ rectè video mea nihil interesse?

DISPUTATIO III.

Vtrum ex mundi suppositione Deus necessariò assumpserit naturam creatam?

S. 1.



Vppositio de existentia mundi potest bifariam considerari. Primùm, consideratà voluntate efficaci Dei de producendo hoc mundo cum omnibus suis partibus, ex quibus nunc constat; sic ex suppositione mundi necessaria est Incarnatio, quia illa mundi suppositio est etiam suppositio voluntatis efficaci Dei de Incarnatione. omne autem quod efficaciter est amatum à Deo, necessarium est ex tali suppositione, liberum autem absolute, quia illa suppositio ponitur à Deo liberè, quam potuit non ponere, ob quod nec effectus, nec ea voluntas sunt inuitabiles: potuerunt enim vitari, at non possunt coniungi carentia effectus & voluntas efficaci Dei de illo, quia nec decretum illud potest mutari, nec non sortiri effectum ex suppositione, quod efficax est: ob quod effectus ille est immutabilis: rectè S. Bonauent dixit Incarnationem esse necessariam necessitate immutabilitatis, non autem inuitabilitatis. Secundò, potest considerari voluntas Dei de existentia mundi, quatuor elementorum, animalium rationalium & irrationalium, cæli, & angelorù, præcindendo à voluntate de assumptione naturæ creatæ. Est igitur quæstio, Vtrum ex voluntate creandi angelos, cælum, quatuor elemèta & animalia, rectè deducatur voluntas de Incarnatione; ita vt repugnet voluntas de alijs obiectis, nisi coniuncta cum hac? an verò separabiles sint voluntates istæ? Deusve potuerit mundum creare, quin assumeret naturam vllam?

S. 2. Raymundus Lullus apud Patrem Vasquez disput. 1. num. 10. annectit necessariò Incarnationem huic mundo, quem censet non potuisse oriri ex Dei manibus, nisi cum Incarnatione; ad quam non admittit libertatem nouam distinctam à libertate de creando mundo. Fundamentum eius est: quia Deus est optimus artifex, qui non potest non operari optima ratione: sed optima ratio petit, vt hic mundus cum Incarnatione fiat: ergo mundus non potuit fieri sine Incarnatione. Minor patet: quia Incarnatio est præcipua mundi pars: at optima ratio petit, vt nihil producat absque parte præcipua: ergo optima ratio petit hunc mundum cum Incarnatione. Confirmatur: Deus non potest admittere peccatum artificum: sed horum peccatum est vel quia ignorant exemplar, vel quia non assequuntur opus ex exemplari.

S. 3. Meritò P. Vasquez ea disp. 1. cap. 3. mordet sententiam Lulli: est enim contra vniuersos Theologos & Patres, & sine fundamento: quamuis existimo illam esse mitiorem illà alià de necessitate

morali Dei, quam proposui disp. 2. §. 22. Quia hæc Lulliana nullam constituit in Deo antecedentem necessitatem ad eligenda meliora, sed consequentia: illa verò constituit antecedentem. Impugnandus autem est Lullus suis argumentis.

§. 4. Primùm: Admitto (disputandi gratia) Deum necessariò sequi optimam rationem in operando: nego tamen eam esse optimam in coniungendo Incarnationem cum hoc mundo: quia Incarnatio non est pars huius mundi, nisi valde per accidens. quamuis enim mundus est (vnum per accidens, quia eius partes non sunt vnitæ; tamen illarum consensione administratur mundus, quia elementa mutuò iuuantur: tenent enim optimum firmiter: grauiam enim & magis opaca longius distant à cælo, ne alijs sint impedimèto ad influxus cælestes; leuiam autem, & magis pellucida, sunt cælo viciniora, illorumque iurgia conciliant vniuersi pacem: cæli autem continent mundum inferiorem, & fouent; angeli verò cælos mouent, & inferiora administrant. quæ omnia sunt naturalia, & pertinent ad perfectam prouidentiam vniuersi. Incarnatio verò est in ordine alio, nempe gratiæ, quæ per accidens est naturæ: tota enim hæc comprehendi potest, quin concipiatur aliqua eius à gratia dependentia. Ergo vnio hypostatica non exigitur à perfecta ratione debita huic vniuerso: addita autem est à Deo volente gratis nobis donare plura quàm quæ nostra natura non solum non petit, verùm nec cogitauit quidem. Vnde patet Minorem syllogismi Lulliani esse falsam. eius autem probatio non est verior: quia quamuis optima ratio rei compositi exigat partes principes sine quibus esset mutila; at non exigit partes sibi supernaturales: nam quia supernaturales sunt, non possunt ab illa postulari.

§. 5. Deinde confirmatio Lulli est etiam contra ipsum: quia artifex peccat, quia ignorauit exemplar, aut quia non potuit exequi quod voluit: igitur aut mens, aut manus aberrat ab scopo: si verò artifex concepit aliquod exemplar, & voluit ad illud efficere opus, & obtinuit, non errauit. Audi Aristotelem 3. Phys. cap. 8. *Fit autem, inquit, & in hisce peccatum quæ per artem conficiuntur: scripsit enim grammaticus non rectè, & potionem medicus non rectè porrexit, quare patet, & in hisce fieri posse quæ natura conficiuntur. Quòd si aliqua sunt in arte, in quibus id quod rectè fit, alicuius efficitur gratia; in his autem quæ peccantur gratia quidem alicuius aggreditur facere, sed non assequitur illud. Exemplaria autem sunt rerum & in se perfectarum, item & monstrorum: pictor enim habet exemplar hominis perfecti, item & monoculi:*